ea intentione ut ex peccatis certiùs confirmatis, & creditis faciliùs gloriam captet sacrilegam; quia in tali casu etiàm utitur juramento ut peccati instrumento. Si autèm intenderet tantùm peccatorum suorum narrationem confirmare, non ut iniqua est, aut ex malo fine, sed præcisè ut vera est, vel ex garrulitate, aut levitate, peccaret, & quidèm satis gravitèr, abutendo divino nomine in testimonium suæ malitiæ, & legis Dei a se violatæ: utrùm mortalitèr? negant plures Auctores, quibus non contradico, eò quòd tùnc non utatur juramento ut peccati instrumento. Quòd si fortè ex bono fine, v. gr. humiliationis, narret sua peccata, & eodem fine juramento confirmet, excusant Auctores a gravi peccato. Ego verò non video, cur non excusetur etiàm a levi, cùm tùnc utatur juramento ut instrumento, non peccati, sed virtutis, nec ideò censendus sit abuti divino nomine.

Veritas.

VEritas, requisita ad juramentam, est conformitas dictionis, non tàm ad rem juratam, quæ dicitur veritas objectiva, quàm ad mentem jurantis, quæ dicitur veritas formalis excludens mendacium: (*Q.* 98. *a.* 1. *ad* 3.) quia sæpè contingit, rem juratam esse falsam, & tamèn quia reputatur vera a jurante, non est perjurium, sed juramentum licitum: & e contrà contingit, rem juratam esse veram, & tamèn jurantem pejerare, quatenùs reputat eam falsam: moralitas enim in actibus humanis petitur ex intentione agentis. Itaquè ex parte rei juratæ veritas sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res jurata se habeat juxtà communem, & humanam intelligentiam, sicùt juratur; v. gr. juras, Petrum Sacellanum toto anni tempore quotidiè celebrasse, singulis diebus Dominicis, & Festis instructionem ad Populum habuisse; verum juras, si id regulatitèr præstiterit, licèt aliquotiès omiserit, quia juxtà communem, & humanam intelligentiam totus annus æstimatur, etsi modicum quid defuerit. Ex parte jurantis extrajudicialitèr requiritur certitudo moralis de veritate rei juratæ. Quapropèr, qui dubitat, aut probabilitèr tantùm credit, & tamèn rem ut certam jurat, quamvis aliundè foret vera, peccat mortalitèr, non solùm ratione periculi pejerandi, sed etiam quia ipso facto perjurat, cùm juret rem ut certam, quæ tamèn ipsi certa non est. Ità communitèr. Jurandum est ergo certum ut certum, dubium ut dubium, probabile ut probabile. (*Hic a.* 7. *ad* 1.) Major ergo certitudo requiritur ad juramentum, quàm ad simplicem assertionem, proptèr reverentiam divini Numinis. Porrò videtur tunc esse certitudo sufficiens, quandò homo prudens, & timoratus nullatenùs suspicatur de contrario. Sit casus: Titius Canonicus solet quotidiè adesse majori Sacro: id videtur sufficere, ut asserant, non tamèn ut jurem ipsum hodiè adfuisse: sed, si accedat testimonium unius, aut alterius fide digni, qui mihi asserat se hodiè ipsum vidisse præsentem, id videtur sufficere ad jurandum extrajudicialitèr. Ad jurandum verò judicialitèr requiritur notitia experimentalis, sive per visum agatur de facto, sive per auditum si agatur de verbis. Ità in Jure caus. 3. q. 9. c. *Testes* 15. ubi dicitur; *Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant, sed præsentes de his, quæ noverunt, & viderunt, veracitèr testimonium dicant. Nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta sunt.*

Petes, qualitèr peccet jurans id, quod putat certò verum, sed temerè, quia non adhibuit sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem? R. 1. (*Q.* 98. *a.* 1. *ad* 1.) sive verum sit, sive falsum quod jurat, peccat ratione periculi pejorandi, cui se exponit, ideòque mortalitèr, vel venialitèr pro ratione negligentiæ: tantò enim majus est periculum pejerandi, quantò major est negligentia discutiendi, & inquirendi veritatem; tantò minùs, quantò minor est defectus considerationis. R. 2. Si falsum sit, quod jurat, videtur etiàm reus perjurii; quia illud vult interpretativè, & indirectè in causa, nempè in illa negligentia, quæ est ipsi directè voluntaria.

Dices 1. Talis nihil dicit contrà mentem: ergo. R. D. nihil dicit contrà mentem, quam actu physice habet, C. quam interpretativè, & moralitèr habet, N. unde ipsi moralitèr imputatur, sicùt illi, qui ex consuetudine perjurat.

Dices 2. Omne perjurium assertorium est peccatum mortale; atqui tamèn non omne juramentum temerarium, etiàm falsum, est peccatum mortale, puta, si sit tantùm levis negligentia indagandi veritatem: ergo. R. D. Maj. omne perjurium assertorium perfectè volitum est mortale, C. imperfectè volitum, N. Qui autèm est levitèr tantùm negligens in inquirendo veritatem, non juraturus, si falsum sciret, imperfectè tantùm vult perjurium; sicut v. gr. qui imperfecta deliberatione perjuraret; undè peccat tantùm venialitèr.

De veritate iterùm, & latiùs, dùm de perjurio.

ARTICULUS V.

Quinam possit jurare?

DIco 1. Attento Jure naturæ omnis creatura intellectualis ratione utens, sive Angelus, sive homo, sive pubes, sive impubes, etiàm ipse Christus qua homo jurare potest. Quia dictum suum confirmare potest per testimonium majoris veritatis, nempè divinæ. Deus autèm (*Hic a.* 10. *ad* 4.) inducitur in Scripturis jurans accommodatè ad sensum nostrum, non quasi indigeat confirmatione, cum ex seipso habeat certitudinem omnimodam, sed ad ostendendum *immobilitatem consilii sui*, inquit Apost. Hebr. 6.

Dico 2. (*Ibid. o.*) Attento Jure positivo impuberes, & perjuri non coguntur, nec admittuntur jurare in judicio. Ità cap. *Pueri.* cap. *Perjuri.* cap. *Honestum* caus. 22. Q. 5. Ratio congrua pro utrisque (*Ibid.*) petitur ex reverentia debita juramento: pueri enim antè annos pubertatis nondùm habent sàt perfectum usum rationis, quo possunt cum debita reverentia juramentum præstare: si tamèn ratione sufficienti pollentes falsum jurent, erunt perjuri ut cæteri. Quoad perjuros autèm ex retroactis præsumitur, quòd etiam debitam reverentiam non exhibebunt: convenit etiàm proptèr reverentiam, ut jurans sit jejunus, & ità in Jure cap. *Honestum*, &c. Porrò intellige de perjuris, non solùm convictis in judicio, sed etiàm de aliis, modò sint notorii: tùm quia Jura non distinguunt; tùm quia eadem est ratio suspicandi, & timendi perjurium in his, quàm in illis. Ità Sylvest. verbo *Juramentum* 2. q. 3. contrà Sotum. Intellige etiàm de juramento testimonii ferendi, aut purgationis, aut probationis supplendæ, vel si quod sit aliud in favorem jurantis; non de juramentis, quæ potiùs onus continent, ut est juramentum calumniæ, fidelitatis, &c. Ab his enim non liberatur perjurus, ne ex propria iniquitate commodum reportet.

Dico 3. (*Ibid. & in arg. s. c.*) Sacerdotes ratione dignitatis suæ non debent ex levi causa jurare in judicio. Quia derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicit. Ità etiàm in Jure cap. *Si quis Presbyter* caus. 2. q. 5. ubi dicitur: *Presbyter vice juramenti per sanctam consecrationem interrogatur, quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent.* Attamèn (*Ibid. o.*) pro aliqua necessitate, vel magna utilitate, licitum est eis jurare, & præcipuè pro spiritualibus negotiis, pro quibus etiàm juramenta competit præstare in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus vacandum; secùs pro temporalibus, nisi fortè ex magna necessitate.

Dico 4. (*Ibid. in a. s. c.*) Nullus Clericus jurare debet in judicio, in manu Laici. Ità in Jure cap. *Nullus* caus. 22. cit. q. 5. Quod intellige 1. nisi de licentia Superioris. 2. De juramento coactivo, seu facto Laico tamquàm Superiori, Ità Sylvester verbo *Juramentum* 2. q. 3.

ARTICULUS VI.

De obligatione Juramenti.

NOta, hìc propriè agi de juramento promissorio: (*A.* 7. *o*) licèt enim juramentum assertorium habeat obligationem respectu actûs jurandi, ut scilicèt juremus id, quod jam verum est, aut fuit, secundùm prudentem existimationem nostram; non tamèn extenditur hæc obligatio ad rem juratam, sicùt in juramento promissorio: nulla enim est obligatio ad id, quæ est, vel fuit, sed obligatio propriè refertur ad id, quod est faciendum, vel omittendum a nobis. Quapropèr juramentum promissorium habet duplicem obligationem. Primam, ut, quandò juramus, habeamus præsentem voluntatem adimplendi quod promittimus; & in hoc convenit cum juramento assertorio, seu potiùs ex illa parte est assertorium. Secundam, ut adimpleamus, seu faciamus esse verum, quod juravimus. Et de hac obligatione potissimùm hìc agitur.

§. I

§. I. *Utrùm, & quantùm obliget Juramentum promissorium?*

DIco 1. (*Ibid.*) Juramentum promissorium validum obligandi vim habet Patet. (*Ibid.*) 1. ex illo Matth. 5. *Reddes Domino juramenta tua.* Et Num. 30. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.* (*Ib. in a. s. c.*) 2. Quia nisi is: qui juravit, adimpleat quod juravit, deerit juramento veritas, ut explicabimus in sequenti conclusione.

Dico 2. Juramenti promissorii obligatio est sub peccato mortali ex genere suo; admittit tamèn probabilitèr levitatem materiæ, ita ut in re levi; non sit obligatio nisi sub veniali. 1. pars est communis; quia est contra religionem, & reverentiam Deo debitam, quòd quis non satisfaciat obligationi, quam auctoritate Divina interposita confirmavit. Etenim homo per juramentum promissorium veluti sibi legem fert propria voluntate, quam auctoritate Divini nominis veluti sigillo firmat, ut ejus reverentia a transgressione cohibeatur: quandò ergo transgreditur, auctoritatem Dei quodammodò contemnit, & Deum instabilitatis atque infidelitatis humanæ veluti confirmatorem statuit, quod est secundùm se grave peccatum irreverentiæ contrà Religionem. 2. pars maximè controvertitur, & utrimque probabilitèr. Illam negant Cajet. Less. Valent. Gabriel, &c. asserunt S. Antonin. p. 2. c. 10. §. 1. Sylvester verbo *Juramentum* 4. q. 1. Sotus l. 8. q. 1. a. 7. Sylvius hic q. 98. a. 3. concl. 4. Navarr. Ang. Azor. Layman, &c. cum quibus.

Prob. 1. Ideò in perjurio assertorio non datur levitas materiæ, quia Deus adducitur in testem mendacii, quòd, etiàm in re levissima, est ipsi valdè injuriosum, cùm per hoc inducatur aut mendax, aut ignorans; atqui, qui non implet juramentum promissorium sincerè tamèn cum animo implendi factum, non adducit, nec facit Deum testem mendacii: ergo. Prob. Min. Jurans in tali casu non mentitur, cum nihil dicat, aut faciat contrà mentem suam, sed solùm eam mutat, proptèr quod quidèm est inconstans & infidelis, nolens nùnc facere, quod priùs voluit, & ad faciendum se obligavit. Ità fermè expressis terminis S. Th. infra (*Q.* 200. *a.* 3. *ad* 5.): *Qui*, inquit, *aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contrà id, quod gerit in mente; si verò non faciat, quod promittit, tunc videtur infidelitèr agere, per hoc quòd animum mutat.* Infidelitas autèm admittit levitatem materiæ, ita ut in re parva non sit grave peccatum: ergo.

Ast dices: Esto Deum non adduci in testem mendacii, saltem adducitur in testem falsi quantùm est in jurante; jurans enim, quantum in ipso est, est causa, cur Deus fuerit attestatus falsum. Hoc est præcipuum adversæ sententiæ fundamentum, nec sanè contemnendum. Attamèn R. N. Assumptum. Non enim (quod benè nota) qui cum juramento aliquid promittit, propriè assumit Deum in testem actualis executionis juramenti, alioquin periculum esset, ne sæpè in testimonium falsitatis adduceretur, si posteà etiàm juxtà de causa promissio non impleretur, sed in testem actualis voluntatis sive promissionis & obligationis, quæ indè nascitur ad præstandum promissum, quamque Deus sua auctoritate foveat: sicùt, si sponsalia in præsentia Principis, auctoritatem suam interponentis, celebrarentur.

Magis instauratur hæc ratio. Testis in contractibus humanis non assumitur in testem actualis executionis contractûs, sed actualis promissionis & obligationis indè secutæ; ità quòd, si posteà contingat contrahentes non servare promissum, non ideò censetur testis inductus ad testificandum falsum, sicùt ne Princeps in priori casu, si non celebretur matrimonium: ergo similitèr in nostro, quandò Deus assumitur in testem sinceræ promissionis juratæ, licèt posteà non impleatur, non ideò inducitur testis falsi.

Repones: Juxtà hanc doctrinam juramentum promissorium erit de re præsenti tantùm, & sic non distinguetur a juramento assertorio. R. esse de re præsenti tantùm directè & primariò, indirectè autèm, & secundariò de re futura, quia est de animo sive promissione atque obligatione præstandi rem futuram, per quod distinguitur a juramento assertorio.

Inferes: ergo malè dicitur a D. Th. & communitèr a Theologis juramentum promissorium, quod non impletur esse juramentum falsum, seu illi deesse veritatem, ut dicebamus ex D. Th. in probatione 1. partis conclusionis. R. quòd, cùm dicitur veritatem deesse juramento promissorio, quod non adimpletur, veritas non sumatur pro conformitate verborum cùm mente loquentis, quæ habet pro opposito mendacium, sed pro conformitate dicti, aut promissionis cum factis, quæ habet pro opposito inconstantiam in dictis, aut infidelitatem in promissis. Hæc magis adhùc patebunt ex solutionibus objectionum.

Prob. 2. eadem 2. Pars conclusionis. Omnis obligatio, quæ æstimatur dependentèr a qualitate materiæ, est gravis, aut levis pro gravitate, vel levitate materiæ; atqui obligatio juramenti promissorii æstimatur dependentèr a qualitate materiæ: ergo. Prob. Minor ex communi hominum persuasione, qui tanto magis, vel minùs se obligari existimant, quanto res juramento promissa est gravis; vel levis, tantòque majorem, vel minorem irreverentiam Deo irrogari censent, quandò major, vel minor promissio jurata violatur: ergo. Prob. 2. eadem Min. Quandò materia juramenti promissorii est mala, licèt venialitèr tantum, nulla est obligatio illud adimplendi: ergo obligatio juramenti promissorii habet se dependentèr a qualitate materiæ, proindèque, sicùt nullum est peccatum non adimplere juramentum de re mala, ità solùm erit veniale, si fuerit quidèm de re bona, sed levi. Confirmatur 1. Major est obligatio voti, quàm juramenti promissorii, ut dicemus infrà ex D. Th. atqui violatio voti in materia levi non nisi venialem irreverentiam ergà Deum continet: ergo nec violatio juramenti in simili materia. Confirmatur 2. Juxta Cajetan. hic, contrariæ Sententiæ assertorem, qui omittit partem levem rei totalis juramento promissæ, tantùm peccat venialitèr: ergò similitèr qui omittit rem levem, quæ est tota materia jurata: patet Conseq. quia non est major obligatio exequendi rem levem, quæ est tota materia jurata, quam rem levem, quæ est pars materiæ juratæ; illa enim non est magis quàm ista, promissa, jurata, & Deo obligata.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Omne perjurium defectu veritatis præsentis est mortale: ergo, & omne perjurium defectu veritatis de futuro; a pari. R. N. Cons. Disparitas patet ex dictis. Quandò enim deest præsens veritas, Deus invocatur, ut testificetur falsum pro vero; sicque cum eo agitur quasi non esset, aut verax; aut omniscius, quod est ipsi maximè injuriosum, etiàm si id fiat in materia levissima. At quandò deest solùm veritas in futurum, nimirùm executio rei promissæ, non invocatur ad testificandum falsum, sed verum; quia, ut dictum est, non invocatur in testem executionis juramenti, sed in testem promissionis sinceræ, & obligationis indè secutæ, quod totum est verum; posteà verò, quandò res promissa omittitur, cùm deberet poni, non ampliùs vocatur Deus in testem.

Instabis. Qui promissionem juratam violat, facit præteritum dictum suum *se daturum, se facturum*, &c. esse falsum: ergo, quantum in se est, facit, ut Deus in confirmationem falsitatis adductus fuerit. R. N. Ant. Qui enim sive jurando, sive non jurando promittit se aliquid facturum, non affirmat se verè facturum esse, si quidèm hoc ipsum nesciat, quia planè variabile, & contingens est, sed tantùm se obligat ad faciendum.

Inferes: ergo juramentum promissorium falsum non est perjurium. R. D. Illatum: Non est perjurium propriè & principalitèr, C. impropriè, & minùs principalitèr, N. Non est itaquè perjurium propriè, quod definitur mendacium juramento firmatum; sed est perjurium impropriè, in quantum deest illi veritas sumpta pro conformitate dicti, aut promissi cum factis, cui opponitur, non mendacium, sed vel inconstantia, vel infidelitas, ut dictum est suprà.

Obj. 2. Cum Valentia hìc disp. 6. q. 7. punct. 3. Conclusione 3. Gravitas, & levitas materiæ tùnc solùm pertinent ad gravitatem, aut levitatem peccati, quandò materia ipsa est immediatum, & veluti per se objectum peccati. Sic transgressio voti de re levi v. gr. est tantum veniale peccatum; quia, cùm ex vi voti oporteat eam levem materiam implere, quatenùs ex illa datur gloria Deo, hæc materia est objectum immediatum peccati & irreverentiæ, quæ committitur in transgressione voti, & sic de aliis; atqui materia promissionis non est immediatùm objectum, & per se irreverentiæ, quæ committitur in violatione juramenti promissorii: ergo gravitas, vel levitas materiæ promissionis nihil facit ad gravitatem, vel levitatem peccati in violatione juramenti promissorii. Prob. Minor. Materia promissionis non est objectum actûs Religionis, quandò juramentum promissorium adimpletur: ergo neque est objectum peccati contrà Religionem, quandò idem ju-

tamentum violatur. Antec. est D. Th. hic a. 5. ad 1. Patet Cons. quia circà idem objectum versatur virtus, & peccatum virtuti oppositum. R. Data Majori, N. Minorem: (*Hic a. 7. ad* 1.) Cùm enim adimplectio juramenti debeatur ex reverentia Divina ex S. Th. sequitur, quòd non adimplere sit peccare contrà Dei reverentiam, ac proindè quod res promissa, & non præstita, quatenùs ex Divina reverentia debetur, sit immediatum, & per se objectum istius irreverentiæ. Ad Prob. N. Cons. quia ad speciem mali sufficit, actum, qui omittitur, esse debitum ex virtute opposita; ad speciem autèm boni non sufficit, quòd actus debeatur ex obligatione talis virtutis, nisi expressè, vel tacitè intendatur istius virtutis honestas; bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu; sic v. gr. ad peccandum contrà charitatem satis est omittere eleëmosynam, quandò non debet omitti, & tamèn ut eleëmosyna sit actus charitatis, non sufficit, eam fieri quomodocumquè, nisi saltèm virtualitèr fiat propter finem charitatis. Honestas autèm Religionis per se non intenditur nequidèm virtualitèr in adimpletione rei juratæ, quia regulare est, quòd ejusmodi res præstetur, non quia per se bona, & Deo grata, ut fit in voto, sed quia homini promissa & illi debita. Undè ad probationem Consequentiæ D. Assumptum ex dictis: virtus & peccatum ei oppositum versantur circà idem objectum hoc sensu, quòd materia, quæ ad vitium pertinet, si omittatur, statim ad virtutem oppositam pertineret, si non omitteretur, N. Hoc sensu quòd ad illam pertinere possit, si adsint omnes circumstantiæ ad talem virtutem requisitæ, C. dicimus ergo, rem juramento promissam posse esse objectum Religionis, quandò juramentum impletur, si propter reverentiam Divini Nominis impleatur, quamvis regularitèr, & per se non sit, eò quòd ordinariè non sic præstetur, nec aliud intendit, ut probat S. Th. citatus. Ità Sylvius.

Hùc usquè dicta sunt intelligenda de juramento promissorio valido. Ut autèm sit validum, multa requiruntur, tàm ex parte jurantis, quàm ex parte materiæ juratæ. Undè sit

§. II. *De requisitis ex parte jurantis ad validitatem Juramenti promissorii.*

DIco: Ad validitatem juramenti promissorii requiritur ex parte jurantis, quòd fiat 1. cum deliberatione perfecta, qualis requiritur ad actum perfectè moralem. 2. Quòd non fiat ex ignorantia circà substantiam, vel accidentia notabilia. Hæc duo patent ex dictis de voto art. 1. Require ibi. Quòd spectat metum, dicemus modò §. sequenti. 3. Requiritur, quòd fiat cum intentione jurandi. Patet ex dictis art. 1. hujus quæstionis; non tamèn cum intentione se obligandi, nec a fortiori cum intentione adimplendi juramentum. Hoc secundum patet ex dictis de voto loco cit. Circà 1. licèt possit esse difficultas, tamèn ut jacet, non puto controverti; neminem enim scio, qui requirat ad validitatem juramenti intentionem formalem, & explicitam se obligandi; quia in juramento obligatio non nascitur ex intentione se obligandi, ut in voto, & aliis promissionibus, sed ex ipsa natura juramenti, seu ipso actu jurandi: hoc ipso enim quo vocas Deum in testem tui dicti, teneris ipsum verificare independentèr a quavis alia intentione: sicùt ex damno illato, independentèr a quavis intentione, nascitur obligatio restituendi. Restat ergo tantùm difficultas, utrùm posita intentione expressa se non obligandi stet nihilominùs juramentum obligans. Negant S. Bonavent. Scotus, Sylvester, & plures alii: affirmant Cajet. hic §. *Nàm jurare cum animo se non obligandi*, &c. Soto, Lessius, & plures alii. Ego, salvo meliori judicio, sic censeo resolvendam esse difficultatem, forte ad conciliationem utriusque sententiæ. Si is, qui sic jurat, noverit obligationem esse juramento essentialem, & ab eo inseparabilem, hoc ipso quo vult expressè non obligari, convincitur etiam nolle jurare, seu non habere sincerum animum jurandi, alias vellet duo contradictoria sibi cognita; quod non est admittendum. Si verò credat posse subsistere juramentum absquè obligatione, tùnc verè stat jurameutum obligans; quia ex intentione non se obligandi non convincitur non habere animum jurandi, cùm putet utrumque posse simùl stare. Et in hoc sensu rectè damnata est a Clero Gallicano anno 1700. hæc propositio: *Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.* Quin imò etiàm in primo sensu rectè damnatur: quia ex tali juramento etiam ficto nascitur obligatio, quandò nempè indè sequitur damnum tertii, aut scandalum.

Petes 1. Utrùm aliquandò sit licitum jurare sive assertoriè, sive promissoriè, sine animo jurandi? R. Numquàm esse licitum, etiamsi per injuriam extorqueretur juramentum, puta a latrone, vel a Judice incompetente. 1. Quia sic jurans mentitur; dicit enim se invocare Deum in testem, cùm tamèn non invocet. 3. Hoc mendacium est directè contrà finem juramenti, quod est confirmatio veritatis, estque ideò toti generi humano perniciosum, tollens medium efficax ad cognoscendam veritatem. 3. Est quædam irrisio Divini testimonii, quatenùs actu exteriori inducitur, & interiori rejicitur. Hinc Innoc. XI. meritò damnavit hanc propositionem: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Petes 2. Quale sit peccatum jurare sine animo jurandi. R. Jurare falsum sine animo jurandi videtur peccatum mortale: quia Deus saltèm exteriùs adducitur in testem falsi, & hoc est ipsi gravitèr injuriosum: sicùt, si quis v. gr. exteriùs adoleret thus Idolo absquè animo venerandi. Insupèr sic jurans utitur nomine Dei tamquàm instrumento ad decipiendum. Ità Cajet. hic, Soto, Covarrubias, Lessius hic dub. 8. Item sic jurans, licèt verum, quandò est rationabilitèr interrogatus in judicio, aut extrà, in re gravi juxtà eosdem Cajet. Soto, Lessium hic dub. 8. & Sylvium hic a 7. quæst. 3. Conclus. 1. peccat mortaliter: quia videtur gravis deceptio, quæ evertit finem, & usum juramenti rebus humanis tàm necessarii, & interrogantem fraudat jure suo. Extrà hos casus videtur peccatum veniale, puta, si sit in re levi, aut irrationabilitèr interrogetur. Idem videtur dicendum de juramento sine animo se obligandi, sive stet juramentum, sive non. Juramentum autèm sine animo adimplendi, certum est, esse sempèr peccatum mortale perjurii, defectu præsentis veritatis.

Cæterùm adverte, quòd, licet ex juramento sine animo jurandi nulla nascatur obligatio ex virtute Religionis, quia, ut diximus Articulo 1. nullum est; si tamèn scandalum, aut damnum alicujus immineat, si non servetur, servare debet qui sic juravit, alioquin scandalum, aut damnum ipsi ut causæ imputabitur. De illo, qui jurat alio sensu, quàm intelligat is, cui jurat, dicemus infrà, dùm de perjurio sub restrictione mentali.

§. III. *Utrùm Juramentum metu extortum sit validum & obligatorium?*

DIco (*Hic a. 7. ad* 3.) In juramento, quod quis metu coactus facit, duplex est obligatio. Una quidèm qua obligatur homini, qui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quatenùs vel a Jure possitivo irritatur, vel est irritabilis ad nutum metum passi; ille enim, qui vim intulit, hoc mereretur, ut ei promissum non servetur. Alia est obligatio (*Ib.*), qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ. Quia id, quod fit ex metu, licèt sit involuntarium secundùm quid, est tamèn voluntarium simpliciter; undè, cum tale juramentum supponatur aliundè factum cum aliis comitibus, nempè judicio, & justitia, nec Deus faciat injuriam jurranti, servandum est propter ejus nominis reverentiam. Ità cum S. Th. communiùs Auctores contrà quosdam.

Confirmatur ex Jure Canonico c. *Si verò. De jurejurando*, ubi Alexander III. dicit, eum, qui gravissimo metu juramentum præstiterat, debere illud servare; *quia*, inquit, *non est tutum quemlibet contrà suum juramentum venire, nisi tale sit quòd vergat in interitum salutis æternæ.* Et cap. *Verùm*: eodem titulo, Cœlestinus III. interrogatus, *àn Sacramenti vinculo absolvantur, quia istud inviti pro vita ac rebus servandis fecerunt?* Respondet sic: *Nihil arbitramur aliud, quàm quod antecessores Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales a juramenti nexibus absolverunt*; ergo erant ligati: alioquin non fuisset absolutioni locus.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Promissio simplex metu extorta non obligat secundùm D. Thom. hic: ergo nec juramentum. Prob. Conseq 1. A paritate. 2. Quia juramentum videtur esse confirmatorium promissionis; quod autèm non est, non confirmatur. 3. Secundùm commune adagium, accessorium sequitur principale, juramentum autèm accedit promissioni, quæ irrita est. 4. Juramentum juxtà aliud principium Juris cap. *Quemadmodùm*. Extrà. *De jurejurando.* tit. 24. l. 2. sortitur naturam actûs, supèr quem cadit: ergo. R. N. Cons. Ut enim juramentum obliget non est necesse promissionem per se & seorsim sumptam esse obligatoriam, sed sufficit ejus executionem esse licitam. Adde, juramentum deberet magis servari propter reverentiam divini Nominis, quàm nudam promissionem. Ad 1. Prob. N. paritatem: Disparitas est, quòd promissio simplex, vel irritatur a Jure positivo, vel saltèm est irritabilis ad nutum metum passi propter injuriam, quam ei fecit is, cui promittitur. At Jus positivum non irritat juramentum, nec est irritabile ratione injuriæ ad nutum jurantis, cum Deus ipsi injuriam non inferat. Excipiendum videtur juramentum gravi metu extortum de contrahendo matrimonio, aut emittenda Professione Religiosa; quin Jus hos contractus nullatenùs admittit, ubi gravis metus intervenit. Ad 2. Prob. N. Ant. universalitèr sumptum. Non enim est de ratione juramenti, quòd sit confirmatio promissionis, cùm nudum propositum possit etiam juramento confirmari. Undè, ut juramentum obliget, sufficit, quòd cadat supèr assertionem actûs futuri, qui sit licitus, non habita ratione, utrùm promissio valeat, vel non, absquè juramento. Ad 3. respondetur communitèr, adagium esse verum, quandò principale & accessorium sunt ejusdem rationis; hic autem sunt diversæ. Insupèr Neg. Subsumptum: non enim hic promissio est principale, cui velùt secundarium accedat juramentum; sed ipsum juramentum est principale & per se stans, quod ob reverentiam divini nominis servari debet. Adde disparitatem jam datam, quòd promissio fiat homini, qui eam injuriosè extorquet; juramentum autèm fit per Deum, qui injuriam non facit. Ad 4. D. Ant. Juramentum sortitur naturam actûs, supèr quem cadit quoad conditiones tacitas & alias limitationes, quas promissio sive ex natura rei, sive ex Jure, sive ex consuetudine, sive ex contrahentium mente habet, ut videre est in Jure cit. C. Ant. Quoad esse firmum, vel irritum, N. Ant. Adde posse negari juramentum præcisè hic cadere suprà promissionem, sed etiam per se stare, ut dictum est.

Obj. 2. Latro, qui cogit ad jurandum, non potest recipere pecuniam juramento promissam: ergo ego non teneor solvere. R. N. Conseq. Licèt enim latro peccet recipiendo pecuniam, tu tamèn, cum possis absquè peccato solvere, teneris propter reverentiam divini Numinis. Nec ideò inferas, te ejus peccato cooperari; habes enim justam causam negligendi ejus peccatum, scilicèt reverentiam Deo debitam. Sic, qui in necessitate petit mutuum ab usurario, aut porrigit Eucharistiam peccatori oculto publicè petenti, non cooperantur eorum peccatis, quia habent justas causas sic agendi.

Obj. 3. Qui juravit non denuntiare latronem Judici, non teneretur juramento ex D. Th. hic: ergo nec qui juravit solvere, aut non repetere pecuniam solutam. R. N. Cons. Disparitas est, quòd juramentum de non denuntiando vergat in deteriorem exitum, eò quòd sit in præjudicium justitiæ publicæ & boni communis: Juramentum autèm de solvenda, vel non repetenda pecunia solùm nocet juranti in his, quæ sine dispendio salutis præstare potest.

Inst. Gregorius III. cap. *Pervenit* 1. Extrà. *De jurejurando* dicit, Episcopum jurare compulsum, quòd sibi ablata non repeteret, nullius juramenti vinculis constringi: ergo. R. Non constringi vinculis juramenti hoc sensu, quòd facilè possit relaxari; non autèm quòd antè relaxationem non esset ligatus: quod evidentèr patet ex eo, quòd Pontifex dicat se eùm absolvere. Quidam dicunt, illic agi de non repetendis bonis Ecclesiæ, quod jurare non poterat Episcopus; quem tamèn Pontifex ad cautelam absolvit, aut absolutum declarat.

Obj. 4. Ex jure 1. cap. *Quamvis pactum* 2. *De pactis* in 6. dicitur, *Pactum, si juramento, nec vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, omninò servari debet*: ergo a contrario sensu, si vi, vel dolo præstitum fuerit, servari non debet. Confirmatur: Vis & dolus æquiparantur, ut patet ex eodem cap. *Quamvis*; atqui juramentum dolo præstitum non obligat: ergo nec vi extortum. 2. Cap. *Verùm* suprà citatum: qui juramenta coacta non servant, non sunt pro mortali crimine puniendi. 3. Cap. *Abbas* & c. *Ad audientiam.* Extra. *De his, quæ vi metûsve causa fiunt.* Libro 1. tit. 40. dicitur, quòd, quæ vi metûsve causa fiunt, carere debent robore. 4. Cod. l. 2. tit. 28. *Si adversùs venditionem.* Cap. *Sacramentum* dicitur, *per vim, vel metum justum extorta* (Sacramenta) *etiàm a majoribus, maximè ne querimonium maleficiorum commissorum faciant, nullius esse momenti jubemus*: ergo. R. Ad 1. sensum Canonis esse, quòd juramenta sine vi, aut dolo præstita sint servanda *omninò*, hoc est tàm in foro conscientiæ, quàm in foro exteriori. Undè consequens est, quòd vi, aut dolo præstita non sic *omninò* sint servanda, nempè quia in foro exteriori non servantur, quatenùs ei, qui metu jurare cogit, non detur actio in jurantem. Potest etiàm dici sensum Canonis esse, quòd juramentum sponte sine vi, vel dolo præstitum sit omninò servandum, quia nullam sæcum adfert relaxationis causam, & quòd, si non superveniat ab extrinseco, omninò servari debeat; at vi, vel dolo præstitum ex seipso relaxationis causam præbet. Ad confirmationem R. Metum, & dolum æquiparari quoad aliqua, non quoad omnia; æquiparantur in hoc, quòd ob injuriam contractum rescindibilem efficiant; differunt autèm, quòd metus non irritet, dolus autèm circa substantiam irritet, quia impedis consensum. Ad 2. constat ex probationibus Conclusionis in cit. Canone nostram sententiam doceri; unde quod hic ex eo opponitur, intelligendum est de foro exteriori, in quo Ecclesia talis juramenti violatores non punit in rigore pœna lata in Perjuros, tàm in detestationem facti illius, qui injuriam fecit, quàm ex commiseratione illius, qui injuriam passus est. Metus enim culpam minuit, & reum venia dignum reddit. Ad 3. fatemur, juramentum vi extortum debere carere robore, non quia sit irritum, sed quia est facilè relaxandum. Ad 4. dicendum, vel illic agi de juramento, cujus observantia vergeret in deteriorem exitum, ut de non facienda querimonia maleficii, vel Juri civili quoad hoc derogatum esse per Jus Canonicum. Si tandèm objiciat, votum metu emissum esse irritum. R. Sic esse non Jure naturæ, sed positivo, quod non ità disposuit ergà juramentum.

Petes, àn, qui juravit redire injustum carcerem, juramento teneatur, etiamsi indè ipsi mors injusta imminear, aut aliud grave damnum? R. Cum Cajet. Soto, Sylvio, & aliis probabiliùs affirmativè, rebus in eodem statu permanentibus. Quia prudentèr juravit, cùm alioquin non obtinuisset exitum, & agitur tantùm de damno temporali: (*Art. 7. ad* 3.) magis autèm debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare.

Dices: Redire in tali casu est seipsum quodam modo occidere, & vitam suam prodigere, quod est omninò illicitum: ergo non solùm non tenetur redire, sed nec potest. Ità Navarr. Sylvester cum quibusdam aliis. R. N. Ant. Qui enim ob justam causam se in certum vitæ discrimen conjicit, non censetur seipsum occidere, aut vitam suam prodigere, ut patet quotidiè in bello. Hic autèm justa causa subest, ne scilicèt sit mendax, & perjurus. Undè vitam exponit propter opus virtutis.

Dixi: *Rebus in eodem statu permanentibus*, (Q. 110. *a.* 3. *ad* 5.) hæc enim clausula subintelligitur in omnibus promissionibus, & juramentis, undè superveniente aliqua notabili mutatione, ut si v. gr. dùm juravit, periculi non erat conscius, & posteà fit conscius, redire non tenetur. Hactenùs de requisitis ex parte jurantis ad validitatem juramenti: nùnc de requisitis ex parte materiæ.

§. IV. *De requisitis ex parte materiæ ad validitatem Juramenti promissorii.*

REvoca in memoriam, quæ diximus suprà a. 2. nempè duplex distingui Juramentum promissorium; unum absolutum, & per se stans, quo quis jurat aliquid se facturum absquè promissione, aut pacto ergà alterum; alterum promissionis confirmatorium; & hoc triplex. Primum confirmatorium promissionis Deo factæ, quod dicitur votum juratum. Secundum confirmatorium promissionis factæ homini, quod dicitur pactum juratum. Tertium confirmatorium promissionis factæ Deo, & homini, quod dicitur votum cum pacto juratum. Hoc posito,

Dico 1. (*Hic a. 7. ad* 2.) Omne juramentum, quodcumque sit de re, sive mortaliter, sive venialitèr mala, ut de adulterando, de mentiendo, de non salutando inimico, de vindicta sumenda, &c. est invalidum, nec ullam ponit obligationem. Imò sic jurans, & peccavit jurando, ut dictum est suprà; & peccat juramentum servando. Prob. 1. ex Jure cap. *Quandò* Extrà. *De jurejurando.* Dicitur juramentum *institutum non fuit, ut esset vinculum iniquitatis.* Item Reg. Juris 58. in 6. *Non est obligatorium contrà bonos mores præstitum juramentum.* Et c. *Si verò.* c. *Cùm contingat. De jurejur.* c. *Quamvis. De Pactis in* 6. Statuitur, juramenta servanda esse, nisi earum observatio vergat in interitum salutis æternæ. Quod sub modo intelligendùm est etiàm de peccatis venialibus, quæ ad mortalia disponunt, & quamdiù durant, impediunt a salute æterna. Prob. 2. ratione. Implicat contradictionem, ut aliquis obligetur facere id, a quo tenetur abstinere: non enim potest simùl facere, & non facere idem; atqui ab omni peccato etiàm veniali tenetur abstinere: ergo. Adverte hic, aliud esse juramentum illicitum, aliud juramentum de re

re illicita. Potest enim esse juramentum illicitum ex parte actûs jurandi, de re tamèn licita, adeòque validum & obligatorium: ut si blasphemando jurasti te daturum eleëmosynam; vel si sine causa jurasti te solutùrum usuras, peccasti jurando, juramento tamèn teneris, quia est de re licita.

Dico 2. juramentum confirmatorium promissionis Deo factæ, aut per se stans, solius honoris Dei intuitu præstitum, debet esse de meliori bono, ità ut si sit de re indifferenti qua tali, (*Ib.*) vel de re, cujus oppositum sit melius ut de matrimonio ineundo, de Religione non profitenda, de eleëmosyna non facienda, &c. sit invalidum. Ratio est; quia tale juramentum æquivalet voto: Votum autèm debet esse de meliori bono, ut dictum est. Et eadem ratione dato, quòd sit de re bona in se, adeòque valida, potest tamèn arbitrio jurantis commutari in evidentèr melius, ut dictum est de voto: v. gr. jurasti tali hora vacare orationi, valet juramentum; sed ea hora occurrit occasio inserviendi ægroto, excipiendi confessiones, aut aliud melius bonum, quod sit Deo gratius, in id licitè tuum juramentum commutare potes. Ità Cajet. Marchantius, & alii.

Dico 3. Juramentum per se stans de re indifferenti qua tali, quod neque in honorem Dei, neque in utilitatem proximi præstatur, ut si nullo honesto fine, sed vel ex indignatione, vel ex levitate jures te hodiè non ambulaturum, te bibiturum, vel non bibiturum vinum, &c. est invalidum. Ità Cajet. hic §. *ad evidentiam* Navarr. Ang. & alii. Ratio est; quia actio humana, quæ secundùm se vel ex objecto est indifferens, si in individuo ad nullum finem refertur, manet otiosa, adeòque mala, nec consequentèr materia juramenti obligatorii.

Ex hac & præcedentibus conclusionibus (*Ib.*) colliges 1. quod juramentum, de quo agitur, quod fuit ab initio de re bona & licita, adeòque validum, si vergat in deteriorem exitum, aut desinat in rem indifferentem, propterèr aliquid quod de novo emergat, quod fuit impræmeditatum, desinat tùnc obligare. Sic juramentum Hærodis poterat esse ab initio licitum, intellecta debita conditione, scilicèt si puella peteret quod deceret dare; sed impletio juramenti fuit illicita.

Verùm petes a contrario, utrùm juramenti priùs invalidum, quia erat de re inutili, aut mala, si posteà mutatis circumstantiis, res fiat bona, convalescat? R probabiliùs negativè cum Layman & aliis, contrà Navarr. Henno, & alios. Patet ex Reg. Juris 18. in 6. quæ est principium naturale: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Sic jurasti absquè ulla justa causa non ingredi talem domum, posteà supervenit justa causa non ingrediendi, puta quòd habitet ibi puella, quæ tibi est occasio peccandi, non teneris abstinere ab ingressu, præcissè vi juramenti, quia fuit nullum. Itèm voto castitatis obstrictus juras ducere Bertham: vel pòst sponsalia valida cum Caia, promittis cum juramento matrimonium Berthæ; in utroque casu juramentum est nullum, quia est de re illicita: nec obtenta dispensatione voti, aut mortua Caia convalescit, ità ut in neutro casu tenearis ducere Bertham. Excipe tamèn, nisi jurando tuam intentionem extendisses etiam ad casum, quo tollerentur hæc impedimenta, & fieret matrimonium licitum: tùnc enim ex illa parte fuisset juramentum ab initio validum.

Colliges 2. Juramentum prodigum, v. gr. dandi sine causa mille aureos alicui, esse illicitum & invalidum, quia ubi promissio est prodiga, executio illius erit etiàm prodiga, adeòque juramentum de re mala. Scio, quosdam contendere tale juramentum valere, si non quoad excessum, saltêm quoad partem, qua promissio prodiga non est: sicùt, inquiunt, qui vovit dare mille aureos pauperibus, si non possit dare nisi 50. tenetur dare 50. quia in talibus promissionibus, aut juramentis factis ad certam quantitatem videtur includi hæc conditio: tantùm dabo: si tantùm potero; secùs, dabo quantùm potero. Non diffiteor, hanc sententiam esse probabilem, & quidêm tutiorem. Attamèn R. ad paritatem de voto, disparitatem esse, quòd votum dandi mille aureos pauperibus sit validum utpotè de re bona & secundùm se possibili, undè si per accidens non possit totum servari, debet saltêm servari quoad partem possibilem. At verò juramentum prodigum est absolutè nullum, quia est de re mala, juramentum autèm nullum ad nullam sui partem obligat. Quamobrem qui vovit v. gr. vitare omnia peccata venialia collectivè, non tenetur vi hujus voti vitare, quæ potest, ut diximus a. 1. de voto; quia tale votum est absolutè nullum, utpotè de re moralitèr impossibili. Quoad conditionem, quæ dicitur subintellecta, videtur gratis asseri. Cæterùm quod mihi probabilius est, propono; tutius consulo.

Dico 4. Juramentum confirmatorium promissionis factæ homini, aut per se stans, emissum in utilitatem alicujus sive hominis, sive Ecclesiæ, sive Communitatis, valet & obligat in quacumque materia licita, etiamsi minùs bona, aut secundùm se indifferenti: nec est in potestate jurantis illud in aliud opus, quantumvis melius & Deo secundùm se gratius, commutare. Idque totum verum est, siveve acceptetur promissio, sive non: cùm hac tamèn differentia, quòd acceptatio superaddat obligationem justitiæ obligationi Religionis.

Prob. Conclusio ex Jure Extrà. l. 2. tit. 24. *De jurejur.* c. *Cum contingat* & cap. *Quamvis. De Pactis* in 6. ubi decernitur, omne juramentum in gratiam alterius præstitum esse servandum, *Si non vergat in salutis æternæ dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Prob. etiàm ratione; quia in juramento in utilitatem hominis emisso non attenditur, àn res promissa sit magis, vel minùs bona, aut secundùm se indifferens, sicùt fit in juramento in honorem Dei emisso aut voto; sed àn sit utilis illi, in cujus gratiam juratum est: id autèm, quod est minùs bonum, aut secundùm se indifferens, potest esse magis illi utile, quàm id quod secundùm se melius: ergo.

Hinc resolves 1. eum, qui juravit puellæ se eam ducturum in matrimonium, teneri illam ducere, nec posse sacros Ordines suscipere; posset tamèn ex speciali Juris dispositione Religionem ingredi, modò matrimonium non juraverit titulo oneroso, puta quia puellam defloravit; quia, si pòst matrimonium ratum id possit primò bimestri ex Juris dispositione a fortiori pòst juramentum, quod est minus vinculum. Nec obstat cap. *Commissum.* Extrà. *De Sponsalibus* l. 4. tit. 1. ubi Alex. III. interrogatus de eo, qui juraverat puellæ se intrà biennium cum ea nuptias contracturum, respondit sic: *Tutius est Religione juramenti servatâ contrahere: & posteà, si elegerit, ad Religionem migrare.* Quia is, de quo agebatur in cit. Canone, appropinquante termino juramenti nihil adhùc certi statuerat de Religione ingredienda, & ideò tutius illi erat Religione juramenti servata contrahere; & posteà, si elegerit, ad Religionem migrare, proùt a Jure conceditur antè consummationem matrimonii.

Resolves 2. eum, qui juravit se daturum summam pecuniæ sicario, si occidat inimicum, vel puellæ, si faciat copiam sui corporis; opere malo perpetrato teneri solvere hanc pecuniæ summam; quia, licet peccaverit sic jurando, cùm tamèn juramentum non cadat suprà ipsum malum opus, sed suprà ipsam pecuniam dandam sub conditione turpis operis, ejus adimpletio est licita, ideòque servanda. Vide, quæ dixi de Contractibus in genere Dissert. 1. art. 8.

Resolves 3. eum, qui solus apùd se juravit dare Titio, aut Pauperibus, aut Xenodochio centum florenos, ædificare Sacellum in Ecclesia Parochiali, constituere Petrum, suum hæredem, ducere Bertham in uxorem, &c. ad hæc teneri, non ex virtute justitiæ, quia non est promissio; aut si sit, non est acceptata; sed tantùm ex virtute Religionis ratione juramenti per se stantis.

§. V. *Resolvuntur quædam difficultates circà materiam præcedentem.*

PEtes 1. quid censendum de frequentissimis parentum & dominorum juramentis, quibus jurant se filios, aut servos tali, vel tali modo punituros, verberaturos, ejecturos, &c. R. Plerumquè non obligare; quia sæpè, vel non adest intentio jurandi, sed terrendi tantùm; vel fiunt ex ira & animo vindictæ, adeòque de re mala: vel supervenit causa excusans subintellecta in juramento; puta filius, aut servus se emendavit, veniam petiit, alii, quos decebat exaudire, pro ipso intercesserunt, turbaretur familia ex correctione, alio modo meliùs & commodiùs correctio facienda judicatur, & emendatio speratur, & similia. His tamèn seclusis, vera sunt juramenta & obligant; sed secundùm sententiam probabilem, de qua suprà, plerumquè sub veniali, quia plerumquè est materia levis. Idem censeo de juramentis etiàm frequentissimis urbanitatis causa factis, quibus viri nobiles, aut alii jurant se non præcessuros in sedendo, ingrediendo, egrediendo, &c. plerumquè scilicèt non obligare: 1. Quia tacitam includunt conditionem hanc: *Quantùm in me, non præcedam.* 2. Quia juramentum in favorem alterius præstitum potest ab ipso remitti, ut dicemus infrà: censetur autèm is, cui juratum est remittere, cùm non acceptat præferentiam oblatam, sed contendit e contrà, ut jurans præcedat. Ità Cajet. & alii.

Pe-

Petes 2. Quid dicendum de juramentis sàt frequentibus mercatorum, non vendendi minoris, seù non emendi pluris. Respondet Sporer, non esse obligatoria; quia, cùm sint in solius jurantis utilitatem, ille potest sibi remittere, sicùt alter tertius, in cujus favorem jurasset. Ex eodem principio Lessius docet, omnia juramenta ex aliquo fine honesto naturali, in solius jurantis gratiam facta, non esse obligatoria, seu esse ab ipsomet remissibilia: ut si ob commodum, vel incommodum naturæ jures te non bibiturum, vel bibiturum vinum hodiè, te ambulaturum, vel non ambulaturum: quia, inquit, quandò juramentum factum est in favorem alterius non obligat, ipso condonante debitum: ergo, si factum sit in favorem proprium, non obligabit, si is, qui fecit, mutet propositum & nolit impleri. Ità laudatus Auctor. Verùm huic sententiæ, quam nimis laxam reputo, non assentior. Ideò enim alter tertius, in cujus gratiam juratum est, potest relaxare juramentum, quia jurans subintellexit hanc conditionem, *si is, in cujus gratiam juro, vellit acceptare*, cùm nemo intendat benefacere invito, ut dicemus modò. At qui jurat in sui gratiam, non habet hanc conditionem, *si velim acceptare, si non mutem propositum.* E contrà ideò jurat, ut sibi auferat libertatem mutandi deinceps propositum. Et ideò censeo, præfata juramenta esse obligatoria, nisi fortè ex mutatis circumstantiis cederent in grave & improvisum damnum jurantis; quia non juravit nisi in suam utilitatem, ut suppono.

Quæri posset etiàm de juramentis assertoriis valdè frequentibus mercatorum, jurantium merces sibi tanti vel pluris constare? R. esse vera perjuria, si reverà merces non tanti constet.

Petes 3. Utrùm juramentum, non communicandi artem, vel speciale medicamentum, quod didicisti ab altero sub juramento non communicandi, obliget. R. Simplicitèr non obligare; (*Quodlib.* 12. *a.* 21.) quia simplicitèr est contrà charitatem & bonum commune: in casu tamèn, quo bono publico, vel ægrotantibus satis provideretur aliundè, vel per alia medicamina, vel per illud sufficientèr diffusum, obligabit juramentum: quia tùnc non est contrà charitatem, & ejus violatio esset contrà justitiam, nimirùm contrà jus magistri lucrum ex sua scientia reportantis, quo absquè justa causa privari non potest.

Petes 4. Quomodò obliget juramentum, etiàm frequens, non ampliùs ludendi? R. 1. Juramentum nullo lusu etiàm honesto & moderato ludendi validum est, & obligatorium. Ità communiùs: quia, licèt lusus honestus & moderatus sit licitus & bonus ad virtutem Eutrapeliæ spectans, melius tamèn & perfectius est ab eo abstinere mortificationis ergo, adeòque materia apta juramenti: sic matrimonium est bonum, melius tamèn ab eo abstinere, ideòque materia sufficiens voti. Posset tamèn contingere casus, in quo melius esset, imò necesse foret ludere, in quo casu juramentum non obligaret: imò, qui talem casum comprehenderet sub juramento, nullum esset. Confer, quæ dixi de voto art. 2. conclusione 5. consect. 3. R. 2. Ubi dubium est, quem lusum sibi interdixerit jurans, àn omnem, àn solum immoderatum, àn ludum per se tantùm, àn per alium, àn ludum pro se tantùm, àn etiàm pro alio? Colligi debet ex ipsius intentione, seu fine, quem habuit jurando.

Hinc sequitur 1. qui jurando intendit tantùm vitare jurgia, blasphemias, dissipationem bonorum, censetur solùm exclusisse ludum immoderatum, cùm illa sequi non soleant ex lusu moderato, & recreationis causa assumpto: si autèm intenderet abstinere a ludo mortificationis causa, vel ne perderet tempus, vel ut commodiùs Deo, aut rebus familiæ vacaret, censendus est omnem ludum etiàm moderatum exclusisse.

Sequitur 2. Qui mortificationem, aut commodiùs Deo & rebus suis vacare intendit, potest ludere per alium, sed non potest ludere pro alio. Si intendit vitare dilapidationem bonorum, non potest ludere per alium, sed potest pro alio. Si intenderit vitare jurgia, blasphemias, &c. inspiciendum est, àn hæc soleant sequi, dùm ludit nomine alieno, aut dùm alter ludit nomine ejus: si sic, nec potest ludere pro alio: nec alter pro ipso. Secùs potest pro alio, & alius pro ipso.

R. 3. Quantitas materiæ & peccati in præsenti juramento desumenda est etiàm ab intentione jurantis. Sic, si intenderis vitare jacturam bonorum, ex ipso damno gravi, vel parvo, quod ex tali ludo pateris, aut cujus periculo te scientèr exponis, & non a mora temporis, æstimanda est culpa gravis, vel levis. Si autèm intendisti mortificationem, vel vitare jacturam temporis, a tempore insumpto notabili, puta duarum horarum, vel non notabili, culpa erit pensanda, non a damno, quod pateris. Si tandèm finis juramenti fuit vitatio jurgiorum, blasphemiarum, graviter peccatur, si periculum illorum sit grave; levitèr, si leve. Quod periculum quisque pensare debet ex propria experientia. Hæc in hypothesi, quod juramentum promissorium admittit levitatem materiæ.

R. 4. Qui jurat, se non ampliùs lusurum cum tali socio, in tali domo, tali ludo, &c. si non ex aliquo honesto fine, sed vel ex vindicta contrà colludentem, vel quia se putat infelicem in tali domo, in tali ludo, vel ex alia simili futili ratione, ut sæpè solet, nullum est juramentum, quia est de re mala, aut indifferenti. Si autèm sic jurat ex justo & honesto fine, puta, quia locus est ipsi perniciosus, ludus rixis obnoxius, colludens iracundus, &c. tenetur juramento.

Qualitèr obliget juramentum servandi statuta alicujus Ecclesiæ, Communitatis, Universitatis, itèm secretum? dicemus Articulo subseq. de interpretatione juramenti.

ARTICULUS VII.

Utrùm sit major obligatio Juramenti, quàm Voti: & utrùm obligatio Juramenti transeat ad hæredes.

DIco 1. (*Art.* 8. *o.*) Major est obligatio voti, quàm juramenti promissorii in gratiam hominis facti: quia obligatio voti est ex fidelitate, quam Deo debemus, ut scilicèt ei promissum solvamus: obligatio autèm juramenti est ex reverentia, quam debemus ei, ex qua tenemur, quòd verificemus id, quod per nomen ejus promisimus; atqui omnis infidelitas irreverentiam continet, sed non convertitur: ergo.

Dices 1. Debilius solet per fortius confirmari; sed votum interdùm confirmatur juramento: ergo juramentum est fortius voto. R. (*Ibid. ad* 2.) Quòd juramentum non adhibeatur voto quasi aliquid firmius, sed ut per duas res immobiles major firmitas habeatur.

Dices 2. cum Lessio: qui non implet, quod juravit, facit Deum testem falsi: at hoc gravius est, quàm non servare illi fidem in promissis: ergo. R. N. Ant. ut patet ex dictis §. 1. Articuli præced.

Dices 3. cum eodem. Juramentum factum in gratiam hominis obligat Deo & homini: votum autèm obligat solùm Deo: ergo juramentum magis obligat. R. D. Consequens: ergo juramentum magis obligat extensivè, C. intensivè N. id est, obligat ergà plures, sed non strictiori obligatione.

Dixi 1. conclusione: *obligatio juramenti promissorii*; quia de illo loquitur S. Doctor. Si autèm quæretur de juramento assertorio, concedi potest, majorem esse obligationem juramenti, quàm voti; quia videtur Deo magis injuriosum, cùm adducitur in testem falsi, quàm si promissio ipsi facta non servetur.

Dixi 2. *Juramenti promissorii, in gratiam hominis facti*; quia si comparatio fiat inter votum & juramentum promissionis Deo factæ confirmatorium, quod dicitur votum juratum, evidens est, majorem esse obligationem talis juramenti, quàm voti simplicis; quia tale juramentum præter hoc quòd sit juramentum, est etiàm votum.

Dico 2. Cujuscumque juramenti obligatio propria, quæ est ex virtute Religionis, ad aliam non transit, quia est personalis; nec ullus contrahere potest obligationem vi juramenti, nisi qui jurat; sicùt nec voti, nisi qui vovet. Hinc inferes, juramenta per se stantiæ, ut si v. gr. sine ulla promissione facta Deo, vel homini, simplicitèr jures, te ædificaturum Ecclesiam, te ingressurum Religionem, te dotaturum puellam, &c. non ligare hæredes jurantis; quia in iis est tantùm obligatio vi juramenti ex virtute Religionis.

Dico 3. Juramentum confirmatorium promissionis Deo factæ, quod dicitur votum juratum, si sit personale, non obligat hæredes; quia, ut dixi de voto, hæres non succedit defuncto in privilegiis, aut obligationibus personalibus, sed realibus tantùm. Si verò tale votum juratum sit reale, obligat hæredes, non quidêm vi juramenti ex virtute Religionis, sed partim ratione promissionis a Deo acceptatæ, & sic quodam modo ex virtute justitiæ; partim quia secundùm Jura hæreditas transit ad hæredes cum oneribus realibus, qualia sunt realia jurata.

Idem a fortiori dicendum de juramentis confirmatoriis promissionis, homini factæ & acceptatæ, in materiis liberis & a Jure non prohibitis, de quibus §. 3. Art. præced. Confer circa hanc Conclusionem, quæ diximus de voto Art. 3. §. 4.

AR-

ARTICULUS VIII.

De interpretatione Juramenti Promissorii in dubio.

DICO: In dubio juramenti promissorii interpretatio fieri debet juxtà duas Regulas sequentes. Prima Reguia: Juramentum est strictissimi juris & interpretationis, ità ut servata proprietate verborum, interpretatio fieri debeat in favorem jurantis, & quantò minor potest inducenda obligatio. Ità Augelus, Sylvester, Azorius, quos citat & sequitur Sylvius hic art. 7. Quæritur 4. & communiter. Partim propter gravem, quam inducit, Religionis obligationem & perjurii periculum; partim quia est in materia odiosa, adeòque restringenda. Nec obstat, quòd sit in favorem Religionis, magis enim promovebitur Religio per benignam interpretationem juramentorum, quia tùnc frequentiùs observabuntur. Hinc

Inferes 1. (Q. 98. *a.* 2. *ad* 4.) Juramentum de servandis statutis Capituli, Collegii, Communitatis, Universitatit, &c. intelligendum esse de statutis editis, non edendis, nisi aliud exprimatur, aut intenderit jurans; tenebitur tamèn edenda servare ex vi ipsa statutorum. Inferes 2. Juramentum præstitum circà materiam Juris intelligendum esse secundùm limites Juris, neque ultrà extendendum. Sic juramentum, de quo modò, servandi statuta Collegii, Communitatis, &c. non est extendendum ad statuta legitima desuetudine abrogata, itèm intelligendum secundùm differentiam statutorum, intentionem Legislatoris, loci consuetudinem & communem interpretationem, ità ut si sint gravis momenti, & accipiantur communitèr quasi sub mortali obligent, tùnc juramenti transgressio novam mortalem Sacrilegii malitiam adjiciat; si sub veniali, venialis sit tantùm juramenti transgressio; si sub pœna tantùm, transgressio nullius sit culpæ, modò transgressor sit paratus pœnam luere. Ità Sylvius loco cit. Layman c. 9. n. 2. Quapropter, inquit idem Sylvius, quando Superior alicujus Communitatis subditos suos convocat sub juramento, vel sub pœna juramenti, qui non comparent, non statim accusandi sunt peccati mortalis, nisi eis significaretur, rem esse gravissimi momenti, & multùm interesse Communitatis eos adesse: quia ordinariè non est intentio Superioris id præcipere reverà sub periculo perjurii, sed in memoriam revocare juramentum, quo tales sunt Communitati adstricti, ut illud non contemnant, & ex illius memoria compareant, si commodè possint. Similitèr juramentum de servando secreto eorum, quæ tractantur in Capitulo, Concilio, &c. intelligitur secundùm quòd materia secretum postulat, ità ut circà materiam gravis momenti, quam multum intersit non evulgari, obliget sub mortali; circà materiam levem sub veniali; circà materiam nullius momenti, cujus evulgatio nullum adfert incommodum, sub nulla culpa. Ità Laymam loco cit. post Sylvestr. Abbat. & alios. Itèm juramentum Ministrorum publicorum qui jurant se fore contentos stipendio Lege taxato, Mercatorum, Pistorum, &c. qui jurant se servaturos taxationem pretii, ponderis, &c. intelligitur, modò taxatio sit justa; non itèm, si constet certò & evidentèr esse injustam. Irèm, qui juravit se pariturum mandatis Ecclesiæ, aut Sententiæ Judicis, potest eo non obstante a Sententia lata appellare, proùt ei Jure communi conceditur. Itèm Clericus, qui juravit residentiam, potest tamèn abesse in casibus a Jure concessis cap. *Ex parte 2. De Clericis non residentibus.*

Inferes 3. Juramentum bona fide præstitum non esse extendendum ultrà intentionem jurantis, verisimilitèr præsumptam. Confer, quæ diximus de voto art. 1. circà particulam *Deliberatio.*

Secunda Regula. In omni juramento promissorio, quantumvis absolutè prælato, subintelliguntur sequentes conditiones & limitationes, sive ex natura rei, sive ex Juris dispositione, sive ex consuetudine, sive ex communi hominum intelligentia, prætèr eas, quas jurans apponere potest. Prima Q. 98. *a.* 2. *ad* 3.) quæ est ex natura rei, est hæc: *Quantum in me erit*, seu, *si potero*; & hæc conditio excludit non solùm impotentiam physicam, sed etiàm moralem, quæ habetur, quandò res non potest fieri sine peccato, aut sine magna difficultate, quæ juranti, dùm jurabat, non erat perspecta. Undè, cùm aliquis jurat se facturum voluntatem alterius, subintelligitur, si quod ei mandatur, licitum sit & honestum, & probabile, sive moderatum. Secunda: *Salvo jure & auctoritate superiorum.* Extrà. *De jurejur.* l. 2. tit. 24. c. *Venientes* 9. & cap. *Non est, De voto.* Tertia: *Si is, in cujus gratiam & utilitatem juratum est, voluerit acceptare*, seu, *nisi obligationem remittat.* 1. Quia nemo intendit benefacere invito. (*Hic a.* 9. *ad* 2.) 2. Quia jurans intelligitur promissario solvisse promissum, quandò facit de eo secundùm ejus utilitatem & intentionem.

Sed advertendum est, (*Ibid.*) quòd multiplicitèr possit homo alteri promittere aliquid sub juramento; uno modo, quandò promittit aliquid directè & principalitèr pertinens ad utilitatem ipsius, puta, si sub juramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum, & a tali juramento potest absolvere ille, cui promissio facta est, ut dictum est. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta, si aliquis sub juramento promittat suo Confessario se intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum, & tùnc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem; quia promissio non est ei facta principalitèr, sed Deo; nisi forte sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilicèt, *si illi videbitur*, *cui promittitur*, vel aliquid tale. 3. Tandèm fieri potest juramentum promissorium simùl in honorem Dei & utilitatem proximi, ut si jures opus charitatis in gratiam alicujus hominis, v. gr. dotare hanc puellam pauperem, dare eleëmosynam tali pauperi, vel Monasterio; & tùnc rursùs certum est cessare obligationem juramenti, si is, in cujus gratiam Deo jurasti, respuat beneficium; quia, ut jam dixi, non intendisti benefacere invito.

Sed utrùm, si promissarius beneficium quidèm non respuat, sed e contrà acceptet, non velit tamèn te jurantem obligari, sed obligationem remittat & te liberum relinquat, verè liber sis? R. Probabilius negativè; quia Deus, in cujus honorem promissio jurata est, obligationem acceptavit. Vide, quæ in simili diximus de voto.

Quarta conditio: *Si res in eodem statu permanserit*, seu *notabilitèr mutata non fuerit.* Extrà. *De jurejur.* l. 2. tit. 24. cap. *Quemadmodùm.* Quia notabilis mutatio facit quasi aliud objectum, ad quod non præsumitur se extendisse intentio jurantis; v. gr. promisisti sub juramento puellæ te illam ducturum in matrimonium, non teneris juramento, si fornicetur, si fiat cocles, si incidat in morbum incurabilem, in paupertatem, in infamiam, &c. aut si tu vis Religionem ingredi. Similitèr, facta pace cum inimico, illi jurasti te non illi nociturum, posteà dat causam novis inimicitiis, non teneris juramento. Hùc etiàm pertinet alia conditio specialis in promissionibus, seu contractibus mutui observanda, scilicèt, *si alter suis promissis steterit.* Cap. *Pervenit. De jurejur.* cit. Et quia, ut fert commune adagium, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

Quinta tandèm: Juramentum confirmatorium promissionis, aut propositi easdem includit conditiones, seu limitationes, quas includit promissio, aut propositum, cui additur. *Quia accessorium naturam sequi congruit principalis*, ut fert Reg. Juris 42. in 6. Adde, quòd juramentum non adjicitur, ut promissio, propositum, aut contractus alitèr accipiantur, quàm per se accipi solent, sed ut intellecta eo modo, quo intelligi solent, firmiora sint & irrevocabilia. Quapropter non excludit conditiones intelligi solitas in ipsa promissione, proposito, aut contractu.

Igitùr, ut dixi, juxtà principia his duabus regulis comprehensa, juramenti dubii interpretatio fieri potest & debet.

ARTICULUS IX.

Quot, & quibus modis relaxatur obligatio Juramenti promissorii?

NOta. Duplicitèr potest tolli obligatio juramenti 1. Impediendo, ne illam ab initio inducat. 2. Tollendo jam inductam. Dico 1. Impeditur obligatio juramenti per Legem, aut Superiorem, quandò nempè Lex, aut Superior statuit, ut juramentum contractui, vel promissioni adjectum sit irritum, & nullam inducat obligationem: quod fit vel prohibendo executionem rei juratæ, ità ut sit illicita; vel reddendo eum, in cujus favorem juratur, inhabilem ad acceptandum; vel remittendo ex justa causa obligationem hoc ipso, quo jurans tentat illam inducere, sicùt posset remittere is, cui juratur.

Dico 2. Obligatio juramenti jam inducta relaxatur 5. modis sequentibus 1. (*Hic a.* 7. *ad* 2. & *a.* 9. *o.* & *ad* 1.) Simplici cessatione per mutationem materiæ, ut si fiat impossibilis, illicita, &c. eo modo quo diximus de voto; cum hac differentia, quòd votum debet esse de meliori bono, ad jutamentum autèm sufficit, quòd sit de re licita. Consule, quæ ibi diximus. 2. (*Ibid. ad* 2.) Condonatione, seu remissione illius, in cujus favorem juratum est. Patet ex dictis art. præced. reg. 2. 3. (*Ibid. ad* 3.) Irritatione, unusquisque enim potest irritare juramentum, quod a sibi subditis factum est, circà ea, quæ ejus potestati subduntur: sic pater potest irritare juramentum puellæ, tutor pupilli, vir uxoris, &c. sicùt suprà diximus de voti irritatione: require ibi: eadem enim est utriusque ratio: excipe solum juramentum minorennis; quia, licèt curator possit irritare votum reale minorennis, quatenùs ejus administrationi officit, non potest tamèn ejus juramentum irritare ex Jure positivo. L. 1. &. 2. C. *Si adversùs venditionem.* Quatenùs juramentum supplet defectum ætatis, & ea dispositione Juris facit esse majorem, ut notant Interpretes in hunc locum. 4. Dispensatione, seu absolutione: & probatur iisdem rationibus, quibus probavimus esse in Ecclesia potestatem dispensandi in votis, scilicèt ex potestate clavium concessa Petro & Apostolis, & ex perpetuo usu Ecclesiæ.

Quoad juramenta votorum confirmatoria & per se stantia pia, hoc est, in soliis Dei honorem præstita, possunt dispensare, qui ordinaria potestate dispensant in votis, nimirùm SS. Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi; & hi, qui habent jurisdictionem Episcopalem. Excipæ juramenta, quorum materia, si voveretur, esset Papæ reservata: in his enim sicùt in votis solus Papa dispensare potest. Horum ratio est, quia juxtà communem sensum Ecclesiæ & Doctorum hæc juramenta pia votis æquiparantur. Ità Cajet. hic, Soto l. 8. q. 1. Azor. quos citat & sequitur. Similitèr eadem potestate clavium præfati dispensare possunt in juramentis per se stantibus, factis in favorem hominis, quia in his est tantùm obligatio Religionis, non Justitiæ. Juramenta verò confirmatoria promissionis hominis factæ & acceptatæ solus relaxare potest is, cui juratum est, ut jam dixi articulo præced. reg. 2. Quia per illam acceptationem homo acquisivit jus, quo, sicùt aliis bonis suis, privari non potest sine ejus consensu, nisi in certis casibus. 1. Si juramentum fraude, aut metu fuerit extortum, aut alia injuria intercesserit, ut cum usurarius exigit juramentum de solvendis usuris, vel cum enormis læsio in contractu, puta ultrà dimidium justi pretii, intercedit. 2. In pœnam criminis ab eo, cui juratum est, commissi; sicùt enim reus a Judice pecunia sua mulctari potest, ità & jure quod juramento acquisivit. 3. Si bonum commune, cui cedere debet bonum privatum, relaxationem postulet, ut juramentum de non accusando, de non denuntiando. (*Ib.*) 4. Quandò dubium est, utrùm id, quod juramento promissum est, sit licitum, àn illicitum, proficuum, vel noxium; in his enim Superiores possunt dispensare. Cætera, quæ spectant dispensationem in juramentis, habes in iis, quæ fusè satis diximus de Dispensatione in votis; illùc recurre.

5. Commutatione: ut si ille, in cujus gratiam factum est juramentum, concedat aliud opus loco illius, quod sub juramento promissum est, præstari. Undè juramenta votorum confirmatoria, aut pia per se stantia commutari possunt ab iis, qui potestate ordinaria possunt commutare vota de eadem materia. Facta verò in gratiam hominis & ab eo acceptata ab eo solo commutari possunt, exceptis casibus, quos pro dispensatione modò excepimus. Plura alia hùc spectantia require de voto §. *De commutatione votorum*, & quæ illic resolvimus, habe hic pro dictis. Cum hac tamèn differentia, quòd facta juramenti commutatione, jurans non teneatur vi juramenti ad opus subrogatum; quia illud non juravit, sed tantum vi pacti quo illud loco alterius acceptat; secùs in commutatione voti; quia, dùm acceptas commutationem, tacitè promittis Deo id, in quod fit commutatio, ut loco cit.

Petes, utrùm ii, qui potestate delegata possunt dispensare in votis, aut ea commutare, ut sunt Regulares, & alii tempore Jubilæi, possint etiàm dispensare in juramentis de eadem materia, aut ea commutare? R. probabiliùs affirmativè, sive intelligatur de juramentis votorum confirmatoriis, sive de juramentis per se stantibus in solius Dei honorem factis. Ità Cajet. hic sub finem §. 1. Layman hic c. 11. n. 3. & 4. cum pluribus aliis, contrà Navarr. Sylvium, Henno, & alios. Prob. Votum & juramentum pium, licèt secundùm se sint diversæ rationis, tamèn in Jure & apùd Doctores æquiparantur, eò quòd ambo fermè similem ergà solum Deum Religionis obligationem contineant, ideòque dispositum de uno censeri debet etiam dispositum de altero. Quod ità verum est, ut, juxtà communem Doctorum etiàm in hac parte nobis adversantium sententiam & praxim receptam, Papalis reservatio votorum extenditur ad juramenta pia circà easdem materias: *Theol. Billuart.* Secunda Secundæ.

ergo multò magis privilegium, seu potestas delegata dispensandi in votis, aut illa commutandi, extendenda est ad juramenta pia, maximè cum hæc extensio sit favorabilis, illa odiosa. Undè ruit fundamentum adversariorum, hæc nempè vincula esse diversæ rationis; esto sint ità secundùm se, ex Jure tamèn æquiparantur. Accedit altera specialis ratio pro juramentis votorum confirmatoriis; votum enim, sicùt quævis alia promissio, ex accessione juramenti non mutat suam naturam, sed retinet omnes conditiones & limitationes, quas non jurata habet, proindèque non obstante Juramento remitti potest ab eo, cui facta est, aut ab alio ejus nomine, quod fit per dispensationem, aut commutationem; atqui remissa obligatione promissionis, ruit juramenti obligatio, quippè quod sit accessorium promissioni & illius confirmatorium, juras enim te servaturum Deo promissionem: ergo, si legitimè absolvaris a promissione, non teneris amplìùs obligationi juramenti. Si dicas, Gregorium XIII. Privilegium a Paulo III. Societati concessum, commutandi vota, extendisse ad vota jurata: R. Id fecisse ad majorem securitatem.

Ad complementum hujus materiæ restat difficultas enodanda, nempè quomodò intelligitur, fieri dispensationem & commutationem in juramentis? non est enim quoad hoc eadem ratio voti & juramenti. In votis superior nomine Dei condonat & remittit promissionem ipsi factam. At non potest, nomine Dei condonare, aut remittere obligationem, qua jurans tenetur verificare, quod promisit sub nomine & auctoritate Dei, cùm Deus ipse hanc obligationem tollere non possit, hoc enim esse licentiam dare irreverentiæ ergà Deum. R. Id fieri ratione alicujus conditionis in juramento subintellectæ, quales sunt, *Salvo jure superioris, si is, cui juratum est, non remittat*; & aliæ, de quibus articulo præced.

Ex quo habes, quod, licèt juramenti cognitio, quandò agitur utrùm obliget, àn non, utrùm possit relaxari, àn non, pertineat ad forum Ecclesiasticum, ut patet ex cap. finali *De foro competenti* in 6. tamèn quandò manifesta est injustitia exactoris, vel quandò constat tale juramentum esse bono communi noxium, possit Princeps, aut Judex sæcularis, non solùm præcipere, ut nocens remittat, sed etiàm propria auctoritate remittere; quia hæc potestas non est per se spiritualis, sed fundata in potestate gubernandi: sine enim hac potestate gubernatio civilis foret imperfecta, & plurimis incommodis occurrere nequiret.

ARTICULUS X.

De Adjuratione. D. Th. Q. 90.

ADjurare latinè idem est, ac græcè exorcizare: adjuratio, exorcismus: adjurator, exorcista. Dico 1. (*Q.* 90. *a.* 1. *o.*) Adjuratio est contestatio, seu interpositio Divini Nominis, aut rei Sacræ, cujus reverentia timore, vel amore, is, qui adjuratur, movetur ad aliquid faciendum, vel omittendum.

Ex quo patet 1. Quòd sit actus Religionis, seu Latriæ, quandò nempè fit per interpositionem Dei, vel etiàm rei Sacræ, ut Passionis, Mortis, Sanguinis Christi, B. Virginis, Sanctorum, quatenùs in eis relucet specialitèr Divinitas, ut diximus de juramento. Nàm, si fiat per B. Virginem, aut Sanctos præcissè secundùm se consideratos, non erit actus Latriæ, sed Hyperduliæ, vel Duliæ: & si fiat per mortem, vitam, amorem Patris, aut Matris, vel quid simile, non erit propriè adjuratio, de qua hìc loquimur. Patet 1. Quòd adjuratio differat a juramento; quia in adjuratione non assumitur Divinum Nomen ad faciendam fidem, ut in juramento; sed, ut dixi, ad movendum alterum hujus nominis reverentia, timore, vel amore, ad aliquid faciendum, vel omittendum.

Dico 2. (*Ibid. & a.* 2. *o.*) Duplex est adjuratio, una imperativa, seu compulsiva, qua utimur erga subditos & dæmones, ut dicam modò. Hac usus est Caiphas Matth. 26. ergà Christum, quem sibi subdi existimabat, & Paulus ad Thessal. 5. Altera deprecativa, qua uti possimns ergà quemlibet, excepto dæmone. Ista usus est spiritus immundus Marc. 5. *Adjuro te per Deum*; & Paulus ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei.*

Dico 3. (*Ibid.*) Licitum est homini uti adjuratione; quia, sicùt homo juramento promissorio se ordinat immobilitèr ad aliquid faciendum ob reverentiam Divini Nominis, ità potest ad aliquid agendum ordinare alios superiores deprecando, inferiores, imperando, & utramque ordinationem per aliquid Divinum confirmare, quod est adjurare.

Hinc sequitur 1. Licitum esse homini adjurare Deum de-

precativè, quòd facit quotidiè Ecclesia terminando orationes suas *Per Dominum Jesum Christum*. Sequitur 2. Licitum esse homini adjurare deprecativè Angelos bonos & Sanctos; quia, cùm sint concives nostri, licet nobis eorum suffragia petere, & aliquid Divinum interponere ad eos movendum. Sequitur 3. Licitum esse nobis adjurare alios homines, vel imperativè, vel deprecativè, secundùm quòd sunt superiores, vel inferiores, vel æquales. Alitèr tamèn (*Ibid. a.* 3.) ad Deum, & alitèr ad hominem utimur adjuratione; nam adjurando hominem ejus voluntatem per reverentiam rei Sacræ intendimus immutare, quod quidèm non intendimus ergà Deum, cujus voluntas est immobilis; sed intendimus ab eo obtinere, quod ab æterno voluit nos consequi, non ex meritis, sed ex sua bonitate, nosque indè excitare ad ferventiùs orandum & petendum. Circà adjurationem dæmonum est aliqualis difficultas. Undè

Dico 4. (*A.* 2. *o.*) Non est licitum homini adjurare ullo modo deprecativè dæmones, neque etiàm imperativè, ad obtinendum ab eis aliquod obsequium, seu ad aliquid discendum, quod non conducat ad eorum expulsionem, quia utrumque pertinet ad quamdam amicitiam, aut societatem, quod gravitèr nobis prohibetur cum dæmone Dei & nostri hoste infensissimo, juxtà illud Apost. 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum*; id enim pertinet ad Apostasiam. Ità ut, juxtà Sylvestr. verbo *Adjuratio* q. 6. peccaret mortalitèr Exorcista, seu adjurans, qui compelleret dæmonem amicabilitèr his, aut similibus verbis: *rogo te exeas, nolli nocere; sile, obsecro*, &c. sed increpatoriè dicat: exi, tace, obmutesce, fac, dic, &c. Existimant tamèn idem Sylvester ibid. q. 5. Cajet. & Sylvius hìc, non esse peccatum mortale aliquid transeuntèr & paucis verbis petere imperativè à dæmone, modò fides illi, qui est pater mendacii, non adhibeatur, neque petatur causa discendi aliquid ab eo, sed, vel ex levitate, vel curiositate, sine periculo quemquam diffamandi: quia, licèt actus talis possit esse perfectè humanus, non habet tamèn perfectè rationem actûs socialis.

Dico 5. (*Ibid.*) Licitum est adjurare dæmones imperativè, hostilitèr, & increpatoriè, ut nobis, aut proximis non noceant, juxtà potestatem à Christo datam Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes & scorpiones, & suprà omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Et Marci ultimo: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Patet etiàm ex perpetua Ecclesiæ praxi apùd Tertull. Apol. c. 32. Cypr. Ep. 2. & 76. Justin. in Dialog. cum Tryph. Athan. in vita S. Ant. Aug. l. 10. de Civit. c. 22. &c. Et ratio est; quia sic non est inire societatem cum dæmone, sed e contrà ab illa recedere.

Hinc colliges, (*Q.* 95. *a.* 4. *ad* 1.) licitum esse Exorcistæ, imperativè & hostilitèr sciscitari a dæmone, & circà eum agere omne, quod conducit ad ejus expulsionem, contemptum, & ignominiam, atque ad proximi utilitatem, ut sciscitari nomen ejus, àn sit solus, quot socios habeat, tempus & causam possessionis, ejus nomen scriptum projicere in ignem, in lutum, in obsessum spuere, levitèr percutere, jubere ut stet, genuflectat, maneat detectus, taceat, det signum egressûs candelam extinguendo, valvas movendo, vitrum frangendo, &c. Itèm potuerit (saltèm mihi probabiliùs cum Sylvestro loco cit. & Bonac. in 2. præcept. Decal. Disp. 4. Q. 1. punct. ult. n. 5. contrà Soto, Less. & alios) præcipere dæmoni superiori, ut fuget & expellat inferiores a corpore. Quia id non est poscere beneficium a dæmone, aut inire societatem cum illo, sed potiùs ipsi injuriam erogare, ipsum, & suos coërcere a malo, hostem se illi exhibere, & ab ejus societate recedere: non secùs, ac si deprædantium ducem minis & fustibus cogeres e domo tua socios secùm abducere, nemo sanè dicet, te in hoc casu petere beneficium a latrone, aut habere amicitiam cum illo.

Dico 6. (*Hic a.* 3. *o.*) Vanum est & illicitum adjurare creaturas irrationales secundùm se consideratas, quia sic non sunt capaces imperii, aut deprecationis. Si verò spectentur, proùt aguntur & moventur ab alio intelligente; nempè, vel a Deo ut principaliter eos movente, vel a Diabolo ex divina permissione iis abutente ad nostram perniciem, possunt adjurari & quidem deprecatoriè, si consideretur in ordine ad Deum, imperativè, si in ordine ad dæmones. His modis exorcizantur aqua, sal, domus nova, thalamus, locustæ, mures, grandines, nubes, tempestates &c.

Petes 1. utrùm sit licitum cuilibet adjurare dæmonem? R. Solis Clericis Exorcistis licitum est ex officio adjurare dæmonem solemnitèr, & juxtà ritum Exorcismorum ab Ecclesia præscriptum. Quia illis solis datur hæc facultas in sua Ordinatione. Imò in quibusdam Diœcesibus, ut in Leodiensi, prohibentur hac potestate uti sine speciali licentia Ordinarii: quam tamèn prohibitionem non existimo obligare plùs quàm sub veniali, nisi aliud appareat ex forma prohibitionis. Adjurare verò privatim dæmonem, sive possidentem, sive per spectra & terrores infestantem, cuilibet licitum est.

Petes 2. quibus signis dignosci potest, hominem a dæmone possideri? R. Non præcisè per motus corporis insolitos dolores, aut clamores, membrorum contorsiones, vocis raucitatem, & similia: hæc enim sunt signa valdè æquivoca. Sed maximè, si professus legat, scribat, laudat instrumenta, etsi nihil horum anteà didicerit; si loquatur idiomate priùs sibi ignoto; si distantia & verè occulta manifestet, &c.

Petes 3. utrùm Exorcismi habeant ex se infallibilem effectum? R. Negativè cum Soto l. 8. q. 3. a. 2. contrà Alphonsum a Castro l. 6. contra hæres. verbo *Exorcismus*; quia sunt solùm quædam sacramentalia, quæ ex Ecclesiæ institutione & precibus plurimùm quidèm valent, sed tamèn effectum dumtaxat sortiuntur tùnc cùm fidei propagationi & hominum saluti juxtà Dei consilium conducunt. Ad id, quod objicitur a Castro ex Marci ultimo: *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.* R. Hæc verba non continere absolutam promissionem, quòd singuli fidelium sempèr & ubiquè ea signa facient, sed quandò Evangelii profectus id postulaverit.

ARTICULUS XI.

De Assumptione Divini Nominis per laudem. *D. Th. Q.* 91.

Utrùm Deus sit ore & cantu laudandus?

DEum esse voce orandum, diximus suprà, dùm de Oratione: nùnc quæritur de laude, utrùm convenientèr fiat per vocem & cantum. (*In Psalm.* 17.) Laus *est sermo elucidans magnitudinem virtutis*: undè laudare aliquem est illum ut bonum & virtuosum prædicare & extollere. Et cum Deus sit summè bonus, & ejus virtus maxima, dubium non est, quin mente saltèm & corde sit laudandus: utrùm etiàm ore?

Dico 1. (*Q.* 91. *a.* 1. *o. & ad* 1.) Deus est laudandus non solùm corde, sed etiàm ore, non quidèm secundùm ejus essentiam, quippè qui ineffabilis & incomprehensibilis major est omni laude, sed secundùm mirabilia ejus opera, juxtà illud Ps. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, sempèr laus ejus in ore meo.* Ps. 26. *Labia mea laudabunt te.* Et *labiis exultationis laudabit os meum.* Prob. ratione. (*Ibid. o.*) Licet laus oris non sit necessaria proptèr Deum, quasi ipsi indè aliquid accresceret, cùm sit infinitus, neque ut ipsi manifestemus conceptus nostros, cùm sit inspector cordium, est saltèm utilis proptèr laudantem ipsum & audientes, quorum affectus excitatur in Deum ex laude vocali, & sic excitatus retrahitur ab his, quæ sunt contrà Deum, juxtà illud Ps. 17. *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* (*Q.* 38. *a.* 12. *o.*) ergo. Adde, hominem debere Deo servire secundùm totum quod accepit a Deo, id est, mente & corpore. Confer, quædiximus de Oratione vocali.

Dico 2. Cantus divinis laudibus convenientèr adhibetur. Est contrà quemdam Hilarium, aliàs catholicum, de quo Aug. l. 2. Retract. c. 11. Cui posteà succinuerunt Waldenses & Wicleffus, qui comparabat laudantes cum cantu Prophetis Baal, de quibus 3. Reg. c. 18. Prob. 1. ex Scriptura 1. David. Ps. 32. hortatur ad cantum his verbis: *Cantate ei canticum novum*, & ne detorqueret hæreticus ad cantum mentalem addit: *Benè psallite ei in vociferatione.* 2. Angeli nato Christo cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo.* Luc. 2. Matth. 26. Christus *Hymno dicto exiit in montem.* Hymni autèm, inquit Aug. in Ps. 72. *Cantus sunt continentes laudes Dei.* Apost. 1. ad Coloss. 3. *Commonentes vosmetipsos in psalmis & hymnis spiritualibus.* Undè Conc. Tolet. 4. ann. 597. Can. 12. dicit; *De Hymnis & Psalmis etiàm cantandis publicè in Ecclesia & Salvatoris & Apostolorum habemus exemplum.*

Prob. 2. ex constanti praxi Ecclesiæ ab ejus incunabulis, Philo Judæus, Apostolis coætaneus, apùd Euseb. l. 1. Hist. c. 16. narrat de Christianis, quòd *unus ex omnibus consurgens in medio psalmum honestis modulis concinebat, & præcinenti ei unum versiculum omnis multitudo respondebat*, Plinius 2. apùd Tertull. c. 2. Apolog. scribit, Trajano imperante, Christianos antè lucem convenire ad canendum

dum Christo. Hujus praxis meminerunt ipse Tertull. l. 2. ad uxorem, Basil. Ep. 63. Ambros. l. 5. Epist. in oratione de tradendis Basilicis, Aug. l. 9. Confess. c. 6. & 7. & l. 10. c. 33. Undè, quod ipse Aug. l. 9. Conf. c. 7. scribit a S. Ambrosio institutum fuisse, ut in Ecclesia Occidentali cantarentur Hymni & Psalmi juxtà morem Orientalis Ecclesiæ, intelligendùm est, non de cantu simplicitèr & quoad substantiam, sed de aliqua ejus circumstantia.

Prob. 3. ratione. (*Ib.*) Laus vocalis ad hoc est necessaria, sicùt modo dixi, ut affectus hominis provocetur ad Deum, & ideò quæcumque ad hoc utilia esse possunt, convenientèr in divinas laudes assumuntur; atqui manifestum est, quòd per diversas melodias sonorum animi hominum diversimodè disponuntur: ergo salubritèr institutum est, ut in divinas laudes cantus assumeretur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem, undè Aug. l. 10. Conf. c. 6. dixit: *Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamentum aurium infirmorum animus in affectum pietatis assurgat.* Et de seipso l. 9. Conf. c. 6. dicit: *flevi in hymnis & canticis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acritèr.* Adde, divinum Officium solemniùs & faciliùs persolvi, si quadam cantûs gravitate & suavitate condiatur.

Solvuntur Objectiones contrà utramque Conclusionem.

OBjicies 1. cum Wicleffo. Christus prohibuit orare & consequentèr laudare voce & cantu, dùm prohibuit publicam Orationem, præcipiens, ut secretò oretur Matth. 6. Elias Propheta 3. Reg. c. 18. deridet Prophetas Baal, quòd clamando invocarent Deum suum: *Clamate* inquit, *Deus enim vester forsitàn cum alio loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur*; ergo. R. Ad 1. (*Q.* 83. *a.* 12. *ad* 3.) Christum loco cit. non prohibere Orationem, aut laudem publicam, sed intentionem, ne scilicèt eò fine quis in publico oraret, ut ab aliis videretur. Patet ex verbis præcedentibus, præmiserat enim Christus: *Cùm oratis, non eritis sicùt hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem suam*: & statim subjungit: *Tu autèm cùm oraveris intra in cubiculum tuum.* Ad 2. Elias deridet Prophetas Baal, non præcisè quòd orando clamarent, sed quòd clamantes crederent Deum suum clamore indigere, ut audiret, & magis audire voces altiores, quàm submissas, quod procùl est a laudantibus Deum verum.

Obj. 2. Apost. ad Ephes. 5. dicit corde, non ore, esse cantandum, his verbis: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Supèr quæ verba Hieronymus scribit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia Officium est, non voce, sed corde cantandum.* Et in præfat. in libr. Habacuc docet, non esse decens orantem canere: ergo. R. Apostolum laudatis verbis docere dumtaxàt, non summis labris; sed ex intimo cordis affectu esse cantandum & psallendum: præmittit enim in eodem versu: *implemini Spiritu S. loquentes vobis metipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus*: quomodò enim sibi invicèm loquerentur, si corde tantùm psallant? Quòd ergo dixit: *Loquentes vobis metipsis*, indicat allocutionem mutuam, & modum alternatim cantandi & psallendi: quod autèm subjungit, *cantantes & psallentes in cordibus vestris*, significat cantum debere procedere ex corde, & non solùm voce proferri. Ad priora verba S. Hieronymi dico, (*Hic a.* 2. *ad* 2.) quòd non simplicitèr vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in Ecclesia cantant more theatrico, non proptèr devotionem excitandam, sed proptèr ostentationem, vel delectationem provocandam. Undè præmiserat: *Et canere igitur & psallere & laudare Dominum magis animo, quàm voce, debemus.* Et subjungit ad verba objecta: *Nec in Tragædiarum modum guttur & fauces medicamine leniendæ sunt, ut in Ecclesia Theatrales moduli audiantur & cantica.* Ad 2. locum Hieronymi R. ipsum non ibi affirmare esse indecens orantem canere; sed solùm dicit: *Nescio, àn decens sit orare cum cantico.* Et statim explicat, quomodò id fieri possit: *Nisi fortè*, inquit, *juxtà 70. orare dicimus Prophetam pro adventu Domini, & ipsum eum delectatione & in Psalmis & in Cantico prophetare, ut & in eo quod oratio est, deprecetur Patrem, & & in eo quod Canticum Patris qui miserit Filium, & Filii, qui venerit, laus dicatur.* Cæterùm ut rectè notat Sylvius hìc, quæ propriè in Ecclesia cantantur, non sunt puræ preces, sed Hymni & Psalmi, qui Divinas Laudes continent, quibus quidèm quædam preces miscentur, eæque cantantur. Neque id cuiquam absurdum videri debet, nisi reprehendam putet ipsum Davidem, qui dùm Psalmos caneret, etiàm Deum orabat. Sicùt etiàm accidit, intèr homines, ut qui Principis laudes cantat, aliquid modestè & irreprehensibilitèr petat. Quæ autèm sunt puræ preces, ut Oratio Dominica & collectæ, non tàm cantantur, quàm clarè & distinctè pronuntiantur cum aliqua vocis inflexione, quæ affectum precantis indicet.

Obj. 3. Principalior est laus mentis, quàm oris; atqui laus mentis impeditur per cantum: ergo. Prob. Minor Cantantium intentio abstrahitur a consideratione eorum, quæ cantant, dùm circà cantum student; & etiàm quæ cantantur, minùs ab aliis intelligi possunt, quàm si sine cantu proferantur: ergo. R. N. Minorem. (*Ibid. ad* 5.) Ad prob. D. Ant. Cantantium ad delectationem intentio abstrahitur, &c. C. Cantantium ad devotionem, N. Tùnc enim attentiùs ea considerant, quæ dicuntur, tùm quia diutiùs morantur supèr eodem; tùm quia, ut Aug. dicit l. 10. Conf. c. 33. *Omnes affectus nostri pro suæ diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur.* Et eadem est ratio de audientibus, quorum etsi aliquis quandoque non intelligant, quæ cantantur, intelligunt tamèn proptèr quid cantantur, scilicèt ad laudem Dei, & hoc sufficit ad devotionem excitandam.

Obj. 4. Laudare Deum convenit & parvis & magnis; atqui majores, qui sunt in Ecclesia, non decet cantare: dicit enim Greg. l. 4. Regest. Ep. 44. & refertur dist. 92. cap. *In sancta* 2. his verbis: *Præsenti decreto statuo, ut in sede hac Sacri Altaris Ministri cantare non debeant, solùmque Evangelicæ lectionis Officium intèr Missarum solemnia exoleant; Psalmos verò, ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel si necessitas exigat, per minores Ordines exhiberi*: ergo. R. D. Minorem. (*Ib. ad* 3.) Majores non decet cantare, si per hoc à verbi Dei prædicatione, aut utiliore ministerio impediantur, C. secùs, N. Itaquè, cùm nobilior sit modus provocandi homines ad devotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum; Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum provocare ad Deum (quales erant olim Diaconi, de quibus loquitur Greg.) non debent cantibus insistere, ne per hoc a majoribus retrahantur. Et hunc esse D. Gregorii sensum, patet ex his, quæ ibi præmittit: *Consuetudo est valdè reprehensibilis*, inquit, *ut in Diaconatûs Ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis Officium & elèmosynarum studium vacare congruebat.* Ex quo itaquè malè inferes, Clericos beneficiatos etiàm majoris dignitatis non debere per se obire Divina Officia, sive psallendo, sive cantando, siquidèm id ipsis præcipiat Trid. sess. 24. *De Ref.* c. 12. nisi, ut dixi, vacent prædicationi, aut lectionibus publicis, similibusve utilioribus ad salutem animarum occupationibus. Sed legitimè inferes, indecorum esse, quòd honoratiores figuratè, seu musicè cantent in Ecclesia; itèm quòd officio Diaconi vel Subdiaconi fungens interdùm ab Altari recedat musicam cum aliis cantaturus.

De Organis.

PEtes 1. Utrùm usus Organorum, & aliorum instrumentorum Musicorum sit conveniens in Ecclesiasticis Officiis? Ex Aug. Conc. 1. in Ps. 32. & ex auctore quæstionum ad Orthodoxos apùd Justinum colligitur. Ecclesiam in prioribus sæculis hæc instrumenta reprobasse, fortè quòd solerent adhiberi a Gentibus in sordidis & turpibus usibus puta in Theatris, Conviviis, & Sacrificiis: & quia ejusmodi instrumenta magis conveniunt imperfectis, qui indigent talibus provocari ad devotionem: Christianos autèm decet esse perfectos. S. Th. hìc ad 4. videtur etiàm ea improbare; si tamèn attentiùs inspiciatur, & responsio cum argumento conferatur, patet, quòd non absolutè ea improbet ut illicita; sed quòd, cùm suo tempore nondùm erat illorum usus saltèm communis in Ecclesia, hunc non usum approbet. Rationem dat, cur minùs conveniat Populo Christiano, quàm Judaico; *quia*, nempè, *hìc populus erat magis durus et carnalis, undè erat per hujusmodi instrumenta provocandus, sicùt per promissiones terrenas.* Itaquè

R. Ad quæstionem: Ecclesiam posterioribus sæculis convenientèr admisisse hæc instrumenta in Divinis Officiis, tùm ad majorem solemnitatem, tùm quia deprehensum est, plurimos Christianorum adhùc infirmos & imperfectos hoc medio esse ad devotionem excitandos. Undè Concil. Senonense celebratum circà ann. 1533. cap. 17. dicit: Organorum usum *Ecclesia a Patribus ad cultum, servitium-*

tiumque Divinum recipit. Et Concil. Trid. Sess. 22. Decr. pòst Canon. de Sacr. Missæ, arcens *Ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive Organo, sive Cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur*, satis indicat, se eas Musicas & Organa probare, si eis nihil nisi Ecclesiasticum, & spirituale sonat.

Petes 2. Quo tempore Ecclesia admiserit usum Organorum in Divinis Officiis? R. Quidam eum referunt ad ann. 660. Tempore Vitaliani Papæ. Alii dicunt, Ecclesiam Veronensem eum admisisse tempore Caroli magni. Alii referunt ad tempora Ludovici Pii, qui obiit ann. 1180. sed hæc non constant. S. Th. qui obiit ann. 1274. hic ad 4. non agnoscit hunc usum in Eccles. Durandus qui obiit ann. 1296. in Ration. l. 4. c. 34. loquens de Hymno *Sanctus*, qui Præfationi subjugitur in Missa, sic loquitur: *In hoc Angelorum & Hominum concentu quandoquè Organa concrepant; quod a David & Salomone introductum est*. Ex quibus colligo, temporibus S. Th. hunc usum nondùm viguisse in Ecclesia, saltèm passim, nec sic, ut S. Th. sciverit; paulò pòst autèm viguisse.

Porrò, licèt usus, sive Cantûs, sive Organorum, in divinis Officiis sit secundùm se laudabilis, potest tamèn per accidens reddi illicitus, nimirùm si prophana, vana, aut turpia divinis Officiis promisceantur, eaque sive voce, sive Organo cantentur; quod potest fieri multiplicitèr. 1. Dùm quis ex intentione vana inserit ut partem divini Officii, puta loco Antiphonæ, &c. & iste actus prætèr difformitatem, quam ex natura sua habere potest, quatenùs est vanus & provocativus ad malum, est insupèr ex præsenti capite peccatum mortale ex genere suo; tùm quia repugnat fini Cultûs divini; tùm quia sic agens est falsarius in divino cultu, inserens tamquàm ejus partem nomine Ecclesiæ, quod Ecclesia minimè vult inseri. 2. Dùm quis vult significare organis prophana, non inserendo ut partem Officii, sed tantùm delectationis causa; & si ista prophana sint honesta, erit tantùm peccatum veniale, quia videtur levis injuria facta cultui divino. Si inhonesta, erit peccatum mortale, tùm ratione scandali & provocationis ad malum, tùm contrà Religionem proptèr gravem injuriam illatam cultui divino & loco sacro. 3. Dùm quis præcisè applicat consonantiam soni profani ad verba sacra, & tùnc non videtur per se peccatum: nàm sonus sive vocis, sive organi ex sua natura est indifferens ad significanda sacra & profana, & ideò ad utraque potest æquè referri. Per accidens tamèn contingit esse peccatum, si nempè iste sonus sit talis conditionis, ut judicetur provocativus ad malum; & erit mortale, vel veniale pro ratione mali, ad quod provocat, & scandali indè causati. Ità pòst Cajet. Sylvius & Valentia.

DIGRESSIO HISTORICA.

Utrùm Israëlitæ, dolo Gabaonitarum decepti, Juramentum illis præstitum tenerentur servare?

AD I. CONCL. §. II. ART. IV. DISSERT. PRÆCED.

FAma victoriarum ab Israëlitis reportatarum commoti Chananæi Reges adversùs illos sancito fœdere conjurant. Verùm Gabaonitæ, abjecto belli consilio, de deditione cogitarunt, utque ad fœdus cum Israëlitis faciliùs admitterentur, & salvam vitam reciperent, finxerunt, se non esse Chananæos, sed e Regione longinqua venire, monstrantes calceamenta quasi diuturna peregrinatione disrupta, detritas vestes, &c. Josue & Primates Israëlitarum, non consulto Domino, cum ipsis fœdus inierunt, illisque securitatem jurarunt. Tùm, animadversa fraude salvos quidèm esse jusserunt proptèr religionem juramenti, sed perpetuo famulitio in pœnam fraudis addixerunt. Josue 9. Quæstio est intèr Eruditos, nùm Israëlitæ hoc juramento tenerentur.

Dico: Israëlitæ, dolo Gabaonitarum decepti, juramentum illis præstitum servare non tenebantur. Prob. 1. Juramentum, cui fraus & dolus dat causam, est nullum, nec ullam parit obligationem, ut patet ex dictis; atqui tale fuit juramentum Israëlitarum Gabaonitis præstitum, ut patet ex sacro Textu: ergo. Prob. 2. Juramentum illud erat de re illicita, & a Deo prohibita, nempè de non occidendis Gabaonitis, qui erant Chananæi, etiamsi jurando non peccaverint Israëlitæ, quia decepti putabant non esse Chananæos: ergo. Patet Ant. ex Num. 23. & Deuter. 20. ubi, cùm præmisisset Dominus, quòd Civitatibus exteris petentibus pacem possint concedere Israëlitæ, ea lege ut servirent sub Tributo: de Civitatibus terræ promissæ sic subjungit: *De his autèm Civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes vivere, sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet & Ammorrhæum & Chananæum, Pheresæum & Hevæum & Jebusæum, sicùt præcepit tibi Dominus Deus tuus: ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt Diis, & peccetis in Deum vestrum.*

Dices 1. Si juramentum istud fuisset nullum, debuissent Israëlitæ fraude detecta occidere Gabaonitas, sed e contrà murmuranti populo, quòd Gabaonitæ intacti manerent, responderunt Primores Israël: *juravimus eis in nomine Domini Dei Israël, & ideò non possumus eos contingere*: ergo. R. Israëlitarum Primores sic respondisse ex ignorantia Juris, putantes suum juramentum etsi fraude extortum valere: quomodò quidam Judæi tempore Machabæorum existimabant, se non posse pugnare in sui defensionem die Sabbathi 1. Machab. 2.

Dices 2. Ex eo quòd Saùl interfecerit Gabaonitas contrà juramentum Patrum suorum, Deus iratus famem immisit, domumque Saulis morte suorum afflixit. 2. Reg. 21. ergo signum est valuisse hoc juramentum. R. N. Cons. licèt enim juramentum ob fraudem non fuerit ab initio validum, pactio tamèn, quæ postèa secuta est, qua nimirùm fraude detecta Israëlitæ se obstrinxerunt Gabaonitis, sed ità ut ob dolum essent in perpetuo famulatu, Deo placuit, ut manifestum est ex auxilio divinitùs præstito Israëlitis, in Gabaonitarum defensionem vocatis. Cùm ergo Saùl pactionem illam longo temporis intervallo, & fideli famulatu roboratam, violasset interficiendo Gabaonitas, aliundè ad verum Dei cultum jam pridèm conversos, nihil mirum, quòd Deus fuerit iratus.

Petes, utrùm Israëlitæ, postquam cognoverunt, se fuisse deceptos a Gabaonitis, non peccaverint saltèm parcendo illis contrà Dei mandatum de delendis penitùs omnibus populis Terræ promissæ. Num. 23. & Deuter. 20. R. negativè: quia, ut dixi, bona fide egerunt, putantes ex ignorantia se teneri religione juramenti.

DISSERTATIO VI.

DE OBSERVATIONE DIEI DOMINICÆ ET FESTORUM.

Div. Thom. Quæst. 122. *art.* 4.

QUamvis S. Th. agat infrà de hac materia, ubi de convenientia & ordine Præceptorum Decalogi; quia tamèn Festorum observatio est etiàm actus exterior Religionis, rem Lectori non ingratam me facturum duxi, si præcedentibus Dissertationibus hanc subnecterem, ut sic totam de Religione materiam sub uno quasi intuitu collectam haberet.

ARTICULUS I.

Discutitur natura Præcepti de Observatione Sabbathi & Diei Dominicæ.

DIco 1. (*Q.* 122. *art.* 4. *o.*) Convenientèr traditum est præceptum de observatione Sabbathi; quia remotis per primum & secundùm præceptum Decalogi veræ Religionis impedimentis, nimirùm superstitione, sacrilegio, perjurio, &c. consequens erat, ut statueretur id, per quod homines in vera Religione positivè fundarentur, & hoc est cultus Divinus. Et quia ad interiorem cultum, qui consistit in oratione & devotione, magis inducitur homo ex

ex interiori Spiritûs S. instinctu, & insupèr hujusmodi cultus interior 1. & 2. præcepto Decalogi satis intelligitur requisitus, (fides enim necessaria intelligitur his verbis: *Ego sum Dominus Deus tuus*; & reverentia, atque honos, per hoc quod dicitur solus Deus colendus, & nomen ejus non vanè assumendum) ideò conveniens fuit, ut daretur Legis præceptum de exteriori cultu; & hoc est tertium Decalogi, *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices ... non facies omne opus in eo*. Quia verò (*Ibid.*) præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima, & communia Legis principia; ideò in hoc 3. præcepto præcipitur exterior Dei cultus sub signo beneficii omnibus communis, scilicèt creationis mundi, a qua requievisse dicitur Deus die septima. In cujus signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo. Et ideò Exod. 20. præmisso præcepto de sanctificatione Sabbathi, assignatur ratio; quia sex diebus fecit Cœlum, & Terram, & in die septima requievit. Sed advertendum hic cum Cajet. supèr hunc art. quòd, cùm audis S. Doctorem docere, interiorem cultum non juberi hoc præcepto, sed exteriorem dumtaxàt, intelligendus sit de cultu interiori secundùm se; talis enim non est hic præceptus, sed est finis præcepti. Cum quo tamèn stat, quòd cultus interior, qui est conditio necessaria cultûs exterioris proùt cadit sub Lege, sit in præcepto: tenetur enim audiens Missam in Dominica interiorem, & exteriorem hominem cultui Missæ exhibere: ut latiùs dicam infrà.

Dico 2. (*Ibid. ad* 1.) Præceptum de observatione Sabbathi convenientèr reponitur intèr præcepta moralia Decalogi. Quia hoc præceptum litteraliter intellectum est partim morale, seu Juris naturæ, partim cæremoniale. Morale est, quantum ad hoc quòd homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis; inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quòd cuilibet rei necessariæ deputet aliquod tempus, sicùt v. gr. corporali refectioni, somno, & aliis hujusmodi: ergo etiàm spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundùm dictamen rationis naturalis debet aliquod tempus deputare, & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis cadit sub præcepto morali, & sub hac ratione ponitur intèr præcepta Decalogi. Sed in quantum destinatur speciale tempus in signum creationis mundi, & in quantum in eo præcipitur cessatio ab omni opere servili in figuram quietis Dei ab opere creationis, est præceptum cæremoniale, non morale. Non enim dictat Jus naturæ, necessariò vacandum esse divinis Sabbatho potiùs, quàm altero die, & per totam diem potiùs, quàm per partem; neque necesse est ad vacandum divinis abstinere ab omni omninò opere servili, neque potiùs ab opere servili, quàm ab alio non servili. Hoc (*Ibid.*) verò præceptum mysticè intellectum est etiàm cæremoniale. Primò secundùm allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in Sepulchro, quæ fuit septima die hebdomadæ. Secundò secundùm moralem significationem, proùt significat cessationem ab omni peccato, & quietem mentis in Deum, & secundùm hoc est quodammodò præceptum generale. Tertiò secundùm significationem anagogicam, proùt scilicèt præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in Patria.

Dico 3. (*Ibid. ad* 3.) In observantia præcepti duo sunt consideranda; unum, quod est finis, & est cultus divinus, seu quòd homo vacet rebus divinis, quod significatur in hoc, quòd dicit, *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices*: illa enim dicuntur sanctificari in Lege, quæ Divino cultui applicantur. Aliud est objectum præcepti in ordine ad hunc finem, & est cessatio operum, quæ significatur, cùm subditur: *Septimo die Domini Dei tui non facies omne opus*, hoc est, *omne opus servile*, ut exprimitur Levit. 23. cui cessationi operum Ecclesia in nova Lege addidit audiitionem Missæ. Ut autèm tollatur æquivocatio, duplex distingui debet, & solet finis præcepti; unus intrinsecus, qui ab ipsa re præcepta non separatur; alter extrinsecus, qui ab ipsa re præcepta distinguitur, & separari potest. In præsenti itaque materia finis extrinsecus respectu totius præcepti est cultus interior. Sed quia hoc præceptum duo includit, unum negativum non faciendi opus servile, aliud positivum audiendi Missam; finis extrinsecus præcepti negativi est cultus positivus tàm interior, quàm exterior, finis intrinsecus est cultus negativus, qui in ipsa cessatione ab operibus imbibitur: finis autèm intrinsecus præcepti positivi est ipse cultus exterior, qui ab ipsa auditione Missæ non distinguitur: finis extrinsecus est cultus interior. Hoc D. Th. principium accuratè distinguere volui, quia accuratè notari volo, sicùt & hoc aliud ejusdem S. Doctoris, (1. 2. *q.* 100. *a.* 9. *ad* 2.) *finem extrinsecum præcepti non cadere sub præcepto*. Defectu enim hujus intelligentiæ multi labuntur in suis resolutionibus.

Dico 4. (*Hic q.* 122. *a.* 4. *ad* 4.) Observantia diei Dominicæ in nova lege non est Juris naturalis, aut divini positivi, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, ab ipsis Apostolis derivata. Ità pòst S. Th. Cajet. hic Sylvius, Navarr. in Man. c. 3. citans Turrecrematam, Archid. Thomam Vald. & alios contrà Sylvestrum. Prob. Observantia diei Dominicæ duo importat, determinationem temporis, hujus nempè diei, & determinationem materiæ, seu ritûs nempè cessationis ab opere servili, & auditionis Missæ; atqui neque temporis, neque materiæ determinatio est ex Jure naturali, aut divino positivo: ergo Ecclesiastico. Prob. Min. (*Ibid. o.*) Non Jure naturali: quia, quamvis Jus naturæ dictet, Deum esse aliquandò colendum, non tamèn necessariò determinat, ut jam notavi, hunc diem potiùs, quàm alium, totam diem potiùs, quàm plurium dierum partes, neque hunc ritum externum, scilicèt cessationem ab opere servili, & auditionem Missæ potiùs, quàm alium, cum Deus possit alio ritu coli. Non Jure divino positivo: (*Ib. & ad* 4.) lex enim Sabbathi in veteri Testamento, quia erat cæremonialis, & figuralis quoad determinationem diei, & ritûs, cessavit quoad utrumque, adveniente nova lege: quoad determinationem diei patet: etiàm quoad determinationem ritûs evidens argumentum est, quod non sit ità arcta prohibitio operandi in die Dom. sicùt in die Sabbathi, sed quædam opera conceduntur in die Dom. quæ in die Sabbathi prohibebantur, sicùt decoctio ciborum, itineratio, & alia hujusmodi. Quantùm verò ad Jus positivum novæ legis nullibi legimus in Evangelio, Christum præcepisse observationem diei Dominicæ, neque in ea cessationem ab opere servili, & auditionem Missæ: ergo. Confirm. Ecclesia dispensavit, & sæpè dispensat in observatione diei Dominicæ tàm quoad cessationem ab opere servili, quàm quoad auditionem Missæ, ut patet ex Cap. *Licèt de Feriis* Extrà. l. 2. tit. 9. & quotidiano usu; atqui Ecclesia dispensare non potest in Jure naturali, aut divino: ergo.

Dices: laudato cap. *Licèt* dicitur: *Tàm veteris, quàm novi Testamenti paginæ septimam diem ad humanam quietem specialitèr deputari*: ergo. Respondet Navarr. in Manuali c. 13. n. 1. inde ad summum probari, quòd in utroque testamento, tàm novo, quàm veteri, inveniatur, quòd unus de septem diebus debet observari, non tamèn quòd in utroque hunc Deus determinaverit; licèt enim id fecerit in veteri, non tamèn in novo. R. 2. nomen *novi Testamenti* non semper sumi strictè pro eo, quod ipse Christus Deus sancivit, & in Evangelio refertur, sed etiàm sæpè paulò latiùs pro eo, quod ipsi Apostoli statuerunt, & in eorum scriptis legitur; quo sensu Epistolæ, & Acta Apostolorum, & Apocalypsis dicuntur communitèr libri novi Testamenti, in his autem fit mentio Dominicæ.

Itaquè quantùm ad temporis determinationem meminerunt diei Dominicæ S. Joann. in Apocal. 1. ubi dicit, se *fuisse in spiritu in Dominica die*, qui antè dicebatur dies Solis S. Luc. art. 20. narrans, fideles *convenire ad frangendum panem una Sabbathi*, id est, phrasi Hebræa, prima die pòst Sabbathum. Undè Aug. Ep. 89. dicit: *Una Sabbathi appellatur dies, qui nunc Dominicus appellatur*. Itèm S. Ignat. Ep. ad Magnesianos, Innocent. I. Ep. ad Decentium. Cessationis ab opere servili meminerunt Concil. Aurelian. 3. ann. 538. Can. 28. Matiscon. 2. ann. 585. Can. 1. Cabilon. ann. 650. Can. 18. Cap. *Licèt* cit. *De Feriis*, & alia deindè Concilia. Auditionis Missæ Conc. Agath. ann. 506. Can. 47. *de consecrat.* c. 64. dist. 1. his verbis: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire, speciali ordine præcipimus; ità ut antè benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur*. Ibid. Can. *Omnes* 62. Conc. Aurel. ann. 511. Can. 22. Triburiens. Can. 35. & alia sequentia: & his omnibus antiquior Aug. serm. 25. de tempore, ubi loquens de die Dominica dicit: *In die nullus se a sacra Missarum celebratione separet*.

Et quia hæc Jura non tàm de novo instituunt hoc præceptum, quàm supponant jam institutum, cùm plerumquè de modo illud adimplendi tantùm agant, atque consuetudo populi Christiani, cujus initium assignari non potest, semper habuit, & habet hæc esse in præcepto, rectè concludit Sylvius, hanc legem de observatione diei Dominicæ ab ipsis Apostolis descendere, juxtà hanc Aug. regulam l. 4. contrà Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*.

Quod & ipse Aug. dissertè asserit serm. 131. de temp. his ver-